te in hac, & in altera vita conſumet; hoc initium eſt malorum quæ æque ac immortalis anima tua ſunt duratura. Revelle te generoſo conatu ex eo limo, in quem incipis demergi: experire quam glorioſum, & lene ſit jugum caſtitatis ſi conferatur cum turpi, crudelique ſervitute, in qua dæmon carnis ſua torquet mancipia. *Albas du Jarry in Panegyrico S. Joſephi.*

Impudicitia terribiles offundit tenebras.

Peccatum hoc parit in anima terribiles tenebras; itaut videns non videat, audiens non audiat. Mox vero horribilem in ea gignit obdurationem; quippe ſtupiditas eſt ſine exemplo. Paradiſus, infernus, æternitas, judicium Dei, nihil eam movet; quod palam videtur in illis, qui obſcœno huic ſeſe abdunt vitio, præſertim vero ſi ex ſtatu, atque vitæ inſtituto ad Sacramenta frequenter accedere teneantur; non enim verentur hoc fœdati ſcelere ad aras, ipſaque accedere Sacramenta; & id quod terrorem, tremoremque incutere debet illis, in quibus adhuc reliquus eſt ſenſus aliquis pietatis, & religionis, cæcis hujuſmodi res nullius momenti videtur. O abominationem deſolationis in loco ſancto! Audere accedere ad Deum, cujus infinita Majeſtas eſt, & recipere adorabile Corpus ejus in adeo miſero ſtatu, idque citra metum, & quin ne animus quidem horreat; huc uſque obduratio procedit, in quam infame hoc ſcelus tot malos Altarium Miniſtros impellit. *Auctor Anonymus.*

Supplicia, quibus Deus hoc punit peccatum.

Quid Chriſtiano dicendum eſt, ut hujus vitii ſentiat horrorem? Eheu! vide, vide adhuc fumum incendii Sodomæ, & Gomorrhæ, quas propter civium ſuorum impudicitiam cœleſtis ignis redegit in cineres. Vide reliquias univerſalis diluvii, quod omnes carnales, & impudicos homines ſubmerſit; conſidera ſanguinis effuſi torrentes; & infinita mala, quibus infame hoc ſcelus ſæculis omnibus ultrix Dei manus eſt perſecuta. At memento homines illos nequaquam Chriſti Jeſu ſacris fuiſſe initiatos, ideo ſcelus hoc haud ita nefarium, quale eſt hodie, fuiſſe. Quæ omnia ſi te minime tangunt, numquid non afficieris vocibus S. Pauli clamantis; *Nolite errare; neque fornicarii, neque adulteri, neque molles Regnum Dei poſſidebunt. Idem.*

Impudicorum negligentia, & cæcitas.

Hujuſmodi homines ſcire dediſcunt quinam ipſi ſint. Nullius rei habent rationem; non vident quod videbant; non credunt amplius quod credebant; quamcumque jacturam ſubeant, quamcumque referant contumeliam, quocumque pudore, & infamia ſuffundantur, hęc omnia nullo ab ipſis in diſcrimine habentur, dummodo cupiditati ſuæ ſatisfaciant. Veritatis hujus ſuppetunt argumenta in iis, quæ a Scriptura nobis exhibentur, exemplis. Undenam cœpit ſenum illorum ſcelus, qui Suſannæ ſtuprum inferre meditabantur? Sacer Textus ait, illos incœpiſſe oculos a ſemetipſis, & a Deo deflectentes. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram:* Etenim qua fronte Cœlum reſpicere potuiſſent, animam habentes hoc deteſtabili ſcelere commaculatam? Magiſtratus, Judices in populo ſummam habentes auctoritatem cum propter muneris dignitatem, tum propter exemplum, quod hactenus populo præbuerant; ſenes, ſapientes, prudentes, quomodo animum adjicere potuiſſent, ut tantum patrarent facinus, ſi illud paulo ſerius conſideraſſent? *P. Bourdalove in ſermone quodam ex iis, qui ſub ejuſdem nomine circumferuntur.*

Pſal. 16.

Quo hæc libido impellat.

Quouſque mortales hoc ſcelus impellit? Nulla ſunt negotia, quę non deferantur, nulla pericula, quę non ſubeantur, nulli labores, qui non perferantur, nulla exiſtimatio, quæ in diſcrimen non adducatur, nulla honeſtas, quæ non proſtituatur, nulla officia, quæ non contemnantur, verbo, ratio nulla, quę oblivioni minime tradatur cum de explenda cupiditate ſermo eſt. Pater obliviſcitur, quid filiis debeat, ſexcentos extra rem ſumptus erogans, omneque obliguriens patrimonium, præſertim vero funeſtum illis præbens exemplum; Judex, quid populo debeat illius crimen propria probans auctoritate, amicus quid amico, ſacrificans quidquid in amicitia ſanctiſſimum eſt, uxor, quid viro, unum ex auguſtiſſimis Eccleſiæ Sacramentis profanans. *Idem.*

Sexcenta mala, quorum cauſa eſt libido.

Nonne mirum eſt homines qui adeo ſanctam, ac puram, qualis eſt noſtra, Religionem profitentur, beatę ſorti adſcribere ea ſcelera, quæ pudorem cient, eaque traducere in argumentum jocorum, atque ſermonum ſuorum, & ipſos impudenter ſua flagitia in vulgus proferre? Sed quam monſtroſum eſt videre Chriſtianas mulieres, quę hos audiunt ſermones, his aſſueſcunt jocis, hæc probant æquivoca, his colloquiis maxime oblectantur? Cum enim de impudicitia loquar, non loquor ſolum de turpibus factis, quæ ſatis humana conſideratio coercet: loquor de ſexcentis aliis rationibus, quibus caſtitas læditur; loquor de nimium liberis converſationibus, ubi malum licere putatur, dummodo ſub ęquivocis quibuſdam tegatur; loquor de amicitiis, quę ſuſpicione minime carent, & quæ ſub urbanitatis ſpecie, ac perſona diſſimulantur, & quarum fallax benevolentia ſæpe ad mortem cor noſtrum adducit, donec exterior quędam honeſtatis ſpecies retinetur; loquor de cœtibus illis, qui a Sancto Hieronymo peccati reliquiæ vocantur; loquor de ſecretis familiaritatibus, ſeu verborum, ſeu actionum, quæ caſtitati adeo ſunt pernicioſæ. *Idem.*

Exteriora mala, quorum cauſa eſt.

Vere affirmari poteſt peccatum hoc eſſe cauſam omnium malorum. Hoc bellum in Regnis, ſeditiones in civitatibus ciet; hoc familias evertit, arctiſſimos amicitię nodos infringit, oppida ſubruit, perdit imperia. Undenam orta ſunt bella? Mulier ab adultero rapta integras ad arma nationes conclamat. Quidnam locum præbuit tot ſchiſmatibus, & ſeceſſionibus in Eccleſia, tot hæreſibus, tot ſcandalis? Diligentius inſpicite, quidam Pater ait, & impudicitiam hæc mala peperiſſe innoteſcet. Hinc irriſiones, jurgia, furores, minæ, ultiones, furiæ, infinitorum bonorum diſſipationes; infinitaque mala, quæ mundum obruunt univerſum. *Idem.*

Impudicus amat cæterorum criminum cauſas.

Tertullianus ait impudicum amorem quemdam habere nexum, & quoddam veluti commercium cum aliis omnibus criminibus, & alia omnia crimina illius, ut ita dicam, merere ſtipendia. Propter illum mortales moliuntur, & explent ultiones; propter illum agitantur invidia; propter illum opes congerit avaritia; propter illum obtrectatio bonis ſermonibus virus inſpergit; propter illum ignavia detinet corpus, & carnem in inerti mollitie; propter illum Sacramenta polluuntur, ſacrilegia patrantur; propter illum denique, ut omnia verbo complectar, cætera flagitia graſſantur. *Idem.*

Hoc in vitio naturæ ars additur.

Diceres naturam per ſe ſolam non poſſe nos in hoc flagitium pertrahere; opus eſſe, ut arte ad id excitemur, diceres concupiſcentiam non ſatis eſſe corruptam, opus eſſe, ut inflammetur, & eo compellatur, quo progredi non audet. Si quis eſt liber diabolicus, qui turpia exhibeat imaginationi, hic præ cæteris conquiritur; licet id prohibeat pudor, atque caſtitas ex illius lectione jacturam percipiat; non refert; hic liber eſt hujus temporis, legendus eſt, vorandus eſt &c. *Idem.*

Mala educatio, pravique ſenſus qui adoleſcentibus inſpirantur, eorum innocentiam corrumpunt.

Quomodonam mundus corruptus innocentem chriſtianę inſtitutionis caracterem in ridiculum traducere conatus non eſt? Quam indignæ hujus rei imagines in ſcœna fuerunt exhibitę? Hoc tantum ſæculo modeſtia, & verecundia individuæ ſimplicitati, ſodales pro ruſticitate, ac ſtupiditate haberi conſueverunt; inde vero quam fallacia excogitata ſunt placita circa ea, quæ ad puellarum pertinent inſtitutionem? Diluculo oſtentandæ ſunt, dixere, atque ab ipſa infantia debent aſſueſcere omnia videndo, omnia audiendo, omnia ſciendo. Immo non defuerunt, qui ſibi perſuaderent, quod puellam ad amatorias artes inſtituere validiſſima ratio ſit eamdem in officio continendi. Quæ ſcit mundum, adjiciunt, ſemper habet, quid ſollicitantibus reddat; ſed quę innocens eſt, ſtatim præter voluntatem labitur; ejuſque lapſus licet minus criminoſi, non ſunt tamen minus frequentes. Hic ſermo a theatris in maxime ſerios hominum cœtus migravit, & juxta libidinem Auctoris, qui pravis eſt moribus, atque exlex, & penes quem eſt jus ea, quæcumque vult, in ſcœna repræſentandi, ſententia lata eſt, qua libera educatio probatur. O Deus puritatis amator! Itane impudicitiæ ſchola conſtituitur, quę Jeſu Chriſti ſcholæ opponatur? Itane pudor tutiſſimum contra impudicitiam vallum infringitur? Credamne ullum reliquum eſſe pudorem, cum adoleſcentularum oculi quidem omnia videre, aures vero omnia audire in mundi commercio conſueverunt; cum flagitioſa verba non terrent; cum æquivoci joci riſu excipiuntur; cum puellæ ipſæ flagitioſarum converſationum ignem accendunt? *Ex manuſcripto ſermone P. Franciſci Catrou Jeſuitæ.*

Turbæ, & ſollicitudines, quas inordinata immittit cupiditas.

Cogitate quas turbas injicere, quæ negotia faceſſere debeat inordinatus amoris effectus? Quam inquietam eſſe opus eſt, quæ cor ſuum aperuit, ſecretum ſuum credidit, atque virtutem, & exiſtimationem ſuam in manu indiſcreti alicujus commiſit? Quis metus, ne vocula imprudenti elapſa tibi dedecus afferat, vel ne ſecreta offenſio illum a te divellat, efficiatque ut in vulgus proferat, quod tanta

cura celare contendis? Quis timor ne amor tanta diſſimulatus arte aliquando erumpat, vel a vigilantia parentis, vel a ſponſi zelotypia deprehenſus! Quis pavor, ne cupiditas in ipſis primordiis ſecreta, quia nimis erat exigua, quam ut ab aliis deprehenderetur, in progreſſu vehementior facta ſeſe ipſam vel inconſideratis geſtibus, vel imprudenti oculorum nictu prodat? Quæ crux in publico omnia ſemper ſumma diligentia metiri apud eum, cum quo clanculum nulla verecundiæ ratio habetur? O Deus! tu hoc præcipiſti; & fere ſemper accidit, ut pudicitiæ jacturam exiſtimationis, nominiſque boni jactura ſequatur. Flamma impura, quædam ſemper poſt ſe veſtigia relinquit, per quæ detegitur. Fruſtra vobiſmet mutuo perſuadetis ſecreta veſtra attentiſſimos etiam oculos fallere; Quod tanta induſtria contegitis, ſuper recta revelabitur, dicit Deus

2. Reg. c. 12.

Davidi peccanti. *Tu feciſti abſcondite, ego autem faciam in conſpectu ſolis.* Fruſtra commoda inquiritis tempora, ſecretoſque acceſſus, ut noctu ad idolum adorandum pergatis: effuſus eſt in viis omnibus cinis, atque oriente ſole pedum veſtrorum occurrent veſtigia: *Video veſtigia hominum, & mulierum;* amorum veſtrorum miniſter; qui ultro citroque defert lenocinia, hic vos prodet. Quid autem tunc in ſuſpicionem criminis vocati efficietis? quoties blaſphemias evomeris in eam cupiditatem, quæ exiſtimationem veſtram in diſcrimen adduxit? *Idem.*

Daniel. 14.

Alia mala quæ hanc cupiditatem conſequuntur.

Ecce alios longe funeſtiores ejus cupiditatis effectus, quam damno. Quæ turbæ ad minimam infidelitatis ſuſpicionem? Quis furor in eos, a quibus amoris veſtri objectum præripitur? Quis metus, ne veſtræ exiſtimationis excidium non excipiatur excidio fortunæ veſtræ, ac ne ab omnibus contemnamini, poſtquam ab omnibus in ludibrium traducti fueritis? Quænam deſperatio, cum infamia veſtra in omnium mortalium oculis apparuerit, atque turpitudo veſtra ad ipſa uſque judicum ſubſellia trahetur? Dicere etiam poſſem, non ſatis intelligi quouſque nos trahere poſſint hujus cupiditatis initia. Primitiæ quidem ſuaves ſunt; voluptas illam efformat, & fovet; verum fere ſemper deſinit in furorem. Hoc vitium omnia ferme accendit bella; hodierna quoque die carceres ſceleſtiſſimis replet; hoc ſuam hæreſi commodavit facem, ut meliores Europæ provincias combureret; hoc nos docuit novum latrocinii genus, contra quod militaris virtus non prodeſt: hoc impudiciſſimas docuit parentes invidere lucem fœtibus iniquitatis ſuæ &c. At in orientis affectus initiis ea, quæ conſecutura ſunt, non videntur. *Idem.*

De impudicis cogitationibus.

De infinitis cogitationibus, quæ animo noſtro obverſantur, nullæ ſunt, quibus minus fidendum ſit, quam impudicis; nullæ ſunt, quæ ita ſenſim, & ſine ſenſu animum corrumpant; quocumque in ſtatu ſis, periculum eſt, ne illæ irruant. Sunt in receſſu, mortificatione, auſteritate? rebellis caro mea bellum indicit ſpiritui; illum adoritur, & oppugnat; ſceleris imagines ipſum Hieronymum in ſpecu latentem turbabant. In mundi hujus luce verſor? ſexcenta objecta ſenſus, mentemque mihi faſcinant. Spiritus impurus in arentibus locis deambulans, quos pœnitentiæ imbres non irrigant, mihi ſemper inſidias ſtruet, adverſus quas nonniſi ſummo labore defendar. Quo igitur me recipiam? Locum inquiro, ubi tuto latere poſſim. Numquid in Dei Templa confugiam? At hi ſacri receſſus impuris cogitationibus invii non ſunt; obſcœna hæc objecta occurrunt animo meo; ſexcenta phantaſmata catervatim inſurgunt, ac trepidationem immittunt: ſancta hæc domus, ubi Deus vivens inhabitat pro me repente immutatur. Non ideo tamen ſemper peccamus, ſed ſemper in peccandi periculo ſumus. *Auctor Anonymus.*

Omnia ad cordis corruptionem impenduntur.

Omnia ad nos perdendos impenduntur, ac nulli rei parcitur; quid enim ad id non adhibetur? Veſtes locupletes, ac pretioſæ, ornamenta, joci, acumina, facetiæ; & etiam ſi pura proferuntur, & ſimplicia verba, nonne mens illa in lævum ſenſum detorquet? Prava ſententiæ alicujus interpretatio nonne efficit, ut caſtiſſima verba pro impuriſſimis traducantur? Ad cor flectendum verborum vi, nonne adhibentur aſſentatiunculæ, joci, cantiones; nonne idem illi, atque idolis, thus adoletur? Laudantis vox nihil eſt, attamen inde gloriamini. Adoleſcens, qui nondum ſcit, quomodo iis uti debeat, quæ audit in cœtu eorum, qui licentius loquuntur, omnia in ſuam perniciem convertit; ſorbet venenum prout de impudicorum labiis egreditur; agnoſcit quidem hæc verba eſſe dumtaxat; ſed cor ejus ficta dulcedine illectum, facile hoſti oppugnanti victas dat manus. *Idem.*

Infirmitas noſtra petit, ut attentius nobiſmet invigilemus.

Deus cum Noe loquens teſtatus eſt futurum ut ſpiritus ſuus non permaneret in homine, quia non aliud erat, quam caro: *Non permanebit ſpiritus meus in homine quia caro eſt.* Attamen audio impudicos hanc ipſam afferentes cauſam, & peccata ſua excuſantes propter humanam infirmitatem, quæ caro eſt; ego vero dico ob cauſam hanc impudicum eſſe a Deo derelinquendum. Ideo homo ſemper ſibi cavere debet, ac metuere, *quia caro eſt*; ideo uti debet omnibus gratiæ ſubſidiis, quam Deus omnibus pollicitus eſt, *quia caro eſt*: ideo homo cum ſit infirmus, confugere debet ad orationem, & ſubinde etiam ad receſſum, eique occaſiones omnes vitandæ ſunt, *quia caro eſt*: & hanc ipſam ob cauſam voſmet temere objicietis; tot periculoſos adibitis locos, ubi impuri ſunt oculi, & cœtus parum caſti, quin timeatis jacturam Spiritus Sancti ab impudico homine recedentis: *quia caro eſt. Ex manuſcripto ſermone, qui P. de la Rue tribuitur.*

Geneſ. 6.

Quomodo vitium hoc paulatim cor perdat.

Natus eras egregiis præditus dotibus, naturam vero tuam egregia educatio perfecerat. Corporis qualitates in te præclara hæc bona corruperunt, & everterunt ſpem illam, quam omnes conceperant. Ingreſſus es in mundum, qui cum adoleſcentiæ periculoſus ſit, tibi magis quam cæteris fatalis extitit. Natura egregiam formam, atque vividum ſpiritum tribuens, hanc tibi gratiam contulerat, ut omnibus placeres. Oculorum ſermo, illecebræ morum, placendi ſtudia, omnia contulerunt aliquid, ut te ſeducerent; & oris venuſtate his omnibus accedente incantationibus, cor tuum recentes excepit impreſſiones, quibus illæ deletæ ſunt, quas natura, & educatio pepererant. Temet tradidiſti craſſioribus affectionibus, quas ſenſibilia inſpirant objecta, & repuliſti laudabiles affectiones, quæ ad virtutem adducunt. Affectus hi æſtu juventutis animati omnem abſtulere guſtum voluptatum ſpiritus, ac rapido impetu te in ea omnia pertraxerunt, quæ ſenſus tuos allicere poterant. *Liber cui titulus: Timandre inſtruit por ſon genie.*

Quomodo hoc vitium ſpiritum vecordem faciat.

Cato ſuis vacans voluptatibus rationis imperium aſſequitur; & inde accidit, quod ſpiritus carnalis effectus ſenſibilium tantummodo rerum cognitione inhæret, & ea conſectatur, quæ ſenſibus placent. Loquere ad eum de rebus divinis, & ſpiritualibus; eas in ludibrium traducit; illæ ſub ſenſibus ejus non cadunt. Spiritus hic omnino carnalis eſt, & carnis dumtaxat oblectationibus paſcitur. Ecce hic ſpiritus caractere & divinitatis imagine ſignatus ad brutorum conditionem redactus, factuſque ſpectaculum infame poteſtatis, & auctoritatis, quam caro, ſenſuumque voluptates in ipſam rationem acquirunt. *Animales ſpiritum non habentes*, quidam Apoſtolus inquit, & quemadmodum in Geneſi dictum eſt: *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Hinc fit, quod quemadmodum diluviano tempore, quo omnes mundi ſordes fuerunt deterſę, dicitur, pœnituiſſe Deum, quod adeo ſpecioſam effinxiſſet creaturam, quam deinde adeo corruptam, deformatamque intuebatur; *Tactus dolore cordis intrinſecus*; atque iniiſſe conſilium præclarum hoc manuum ſuarum opus perdendi: *Delebo hominem de terra.* Ita cum patimur ſpiritum noſtrum vecordem, & omnino carnalem fieri, Deus qui nos ſalvos facere decreverat, conſilium capit perdendi nos, noſmet inordinatis affectionibus noſtris tradens; atque videns nos non aliud eſſe quam carnem, ſpiritum ſuum removet a nobis. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. P. Antonius a Sancto Martino a Porta ex Carmelitarum Familia, in libro cui titulus, La Conduite de la Grace.*

Epiſt. Jud.

Geneſ. 6.

Ibidem.

Ibidem.

Sollicitudines, atque tumultus, qui hoc peccatum præcedunt.

Quinam conſcientiæ tumultus ante hoc ſcelus? Si impudicus nondum penitus Dei timorem excuſſit; omnia principia, inſtituta omnia ſanctæ educationis hoc momento contra illum inſurgunt. Dei oculus, qui illum videt; judicium formidabile, quod expectat, ignis, quo comburendus eſt, infelix æternitas illi intentata, quænam tumultus, atque formidinis cauſæ? At ſuffocavitne jam conſcientiæ ſuæ ſtimulos? hominum tamen oculi ſemper evitandi ſunt; mundus enim licet ſit nequam, vitium tamen ferre non poteſt. Igitur menſuræ captandæ ſunt, occaſiones aucupandæ; recenſenda momenta, diligentiſſima ratio temporum, & locorum habenda: effugiendus ſolliciti patris oculus, fallenda mater omnibus geſtibus explorandis intenta; ſingulis momentis trepidandum, ne deprehendamur, prævertendæ ſunt etiam inanes ſollicitudines, quas metus parit: inte-

gro

gro annorum ſpatio præparandus eſt infelix aliquis congreſſus; ideo ſexcenta perferenda ſunt dicta, factaque, omnia diſſimulanda, omnia toleranda. *P. Cheminais, Sermone de Impudicitia.*

Argumenti ejuſdem continuatio.

Impudicus nondum ad finem pervenit crudelium agitationum, quas hæc illi cupiditas adfert; ſi enim ita infelix eſt, ut eidem tandem aliquando fecerit ſatis, pœnitentia ſtatim crimen ſubſequitur. Quæ turba, ubi peccati ſui effectus recogitet; atque rumorem conſideret, quod facinus ſuum pariet, ſi cui fuerit exploratum? Quis pudor! quæ infamia! Quis exprimere poteſt adoleſcentulæ terrores, cui ſupereſt adhuc nonnihil honeſtatis? Non defuere, quæ ſibimetipſis mortem conſciverint; etenim quomodonam fides habenda eſt homini vano, nugaci, qui ſimulatis proteſtationibus ſtudet obrepere, & qui tandem vulgo deſinit in irriſionem? *Idem.*

Hujus vitii tyrannis.

Cupiditas, quam explere voluiſti, nondum extincta eſt. Niſi hoc ipſo, alio ſaltem rurſus accenditur objecto: temet illi tradidiſti, illa in te indeſinenter ſuum exercet imperium, te omni tempore omnique loco urget, in feriis ipſis obſcœnarum voluptatum imaginem tibi repræſentat; ad extremos uſque altarium te ſequitur gradus, atque noxias oblectationes a te revellit: *Oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti*, Sanctus Petrus ait. Impudicus oculos habet impudicitiæ plenos, & ejus ſceleris, cujus nullus futurus eſt finis. Quodcumque ipſi occurrat objectum, ſtatim afficitur, eo cor ipſius fertur, & advolat; illud noctes, dieſque recogitat tunc etiam cum feriis vacare exiſtimatur; & in honeſtiſſimis, integerrimiſque converſationibus clanculum ſexcenta obit libidinoſa conſilia. Multis ille præpeditur negotiis? hoc ſemper præ cæteris diſtinetur; nullus adeo ſanctus eſt locus, nulla adeo ſacra perſona, nullum adeo venerabile tempus, quo coerceatur. *Idem.*

1. Petr. c. 2.

Cæcitas, quam hoc vitium parit.

Hæc ebrietas quædam eſt, propter quam impudicus obliviſcitur, quinam ſit: puella non reminiſcitur, honeſtatem virtuti ſuæ inhęrere; Magiſtratus nullam habet amplius rationem caracteris ſui, qui illum populo venerabilem efficit; Eccleſiaſticus non conſiderat profeſſionis ſuæ ſanctitatem, ejuſque polluendæ indignitatem: amicus ſacratiſſima amicitię contemnit officia, & in amici familiam dedecus infert; vir, uxor negligunt conjugii fidem, & quid ad Aras ſe ſervaturos eſſe receperint; nobilis vir genere, & auctoritate potens eam exuit ſuperbiam, qua alioquin eos dedignatur, qui infra ipſius conditionem ſunt poſiti: nulla publicę infamiæ ratio habetur, ex quo hęc tibi dominatur affectio; & hæc omnia vocantur amor perſonę, obſequium, exiſtimatio, obſervantia. Præclara profecto nomina! egregii prætextus, quibus nequiſſimum, ac turpiſſimum flagitium contegitur. *Idem.*

Hujus cæcitatis exemplum.

Quiſnam penetrare poſſet craſſos vapores, qui ex impura carne attolluntur? Turpiſſimi ſenes, qui Suſannæ vim inferre conati ſunt, hac in re docere nos poſſent. Obliti ſunt, quid erant, ut id cogitarent unum, quod amabant; annorum quidem multitudine algentes, at cupiditatis igne flagrantes; Judices populi, ſed innocentię corruptores; capita Synagogę, ſed parum a brutis diſtantes, oculos ab officio ſuo averterunt, ut ſuæ ſatisfacerent cupiditati. Si impudicus cœcus non eſſet, numquid peccatum ſibi voluptati verteret? Si in trophæum illud traduceret quod naturam dedecorat, putaretne venia dignum illud facinus, quod a venia longiſſime abeſt, & quod Deus minus excuſat? Numquid thus creaturę oblatum levem eſſe putaret Creatoris contemptum? Sed talis eſt hujus vitii caracter, quod nominari vetat Apoſtolus; mentem excæcat, rationem prævertit. *Actiones Chriſtianæ P. Simonis Carmelitæ. Sermone de S. Joannis decollatione.*

Mala, quæ hoc vitium in mundo parit.

Quoties in brutalis hujus vitii obſequium impenſum fuit quidquid in Chriſtiana Religione ſanctius, atque ſacratius habetur? Quot falſa judicia, ac perniciosę ſententiæ ad mulieris ſollicitantis illecebras prolatæ fuerunt? . . . . Quid de hæreſibus dicam, quarum fons eſt impudicitia? Regna integra peſſum abiere, ſtatim ac Reges iis ſeſe mancipare flagitiis incœperunt, in quibus Salomon naufragium fecit. Nihil dico de verme, qui rodit, & indeſinenter impudici hominis conſcientiam lancinat. Tu, Domine, præcepiſti, ut quęlibet culpa ſuam gereret pœnam, atque homo ſuis traditus voluptatibus in cupiditatibus ſuis ſupplicium nanciſceretur. *Idem.*

Impudicitia longe plurimorum ſcelerum cauſa.

Verum quidem eſt impudicitię peccatum per ſe non eſſe aliorum graviſſimum, ſed pernicioſiſſimum eſt in effectis ſuis. Infelici fœcunditate ſeipſum multiplicare didicit, ac dici poteſt, fons plerorumque ſcelerum, quæ Chriſtianum orbem late corrumpunt. Confeſſiones, & Communiones ſacrilegæ, ſcandala in civitatibus, diſſidia in familiis, detractiones, teterrimæque calumnię, parricidia quoque, venena, lites, cædes, abortus, funeſtæ deſperationes, quæ miſeras adigunt creaturas ad fructum ſceleris ſcelere nequiori de medio tollendum, ſanctiſſimarum rerum abominabiles prophanationes, ut plurimum ſunt effectus hujus peccati, quod vulgo fragilitas appellatur. Sed horribilis cæcitas nonne recenſenda eſt inter funeſtiſſimos nequiſſimi criminis hujus effectus? Heu! Modicus horror, quem vobis tantum ingerit ſcelus, nonne indicio eſt vos hujus cæcitatis eſſe participes? Numquid non eſtis participes criminis, ex quo illa procedit? *P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus Tomo 1.*

Cæcitas comitatur, & ſequitur hoc peccatum.

Cęcitas vulgatiſſimus eſt, ac funeſtiſſimus peccati impuritatis effectus. Hac pœna Deus punit impudicos. Inordinatas ipſorum cupiditates ipſis punit cupiditatibus, & cæcitate, quam in noxias eorum voluptates infundit. Seſe abdiderunt impudicitiæ, Sanctus Paulus ait, & tradidit illos Deus inordinatis cordis eorum deſideriis, ac erroribus cæci ſpiritus, qui illos ad indignas homine actiones impulit. Statim ac pateris hanc tibi dominari cupiditatem, rationis jacturam ſubire incipis; ſi illius aliqua adhuc internitent lumina, omne illis ſuffocandis impenditur ſtudium. Perturbant paſſionem, quę cordis imperium aſſecuta eſt; importuna ſunt, ideoque damnanda. Ubi impudici illi ſenes criminoſa iniere conſilia contra caſtiſſimæ Suſannæ pudicitiam, Scriptura teſtatur, omnem illos ſenſum abjeciſſe. *Idem Tomo 2.*

Impuritas efficit, ut fides amittatur.

Impuritatis peccatum ipſis etiam fidei luminibus hominem privat; cum effrænis eſt impudicitia, ad licentiam uſque, & infidelitatem evadit. Hoc non eſt amplius peccatum, inquiunt, fragilitas eſt, neceſſitas eſt; mortificatio, & Chriſtiana pœnitentia eſt phantaſma, & obſervantia voti caſtitatis, Lutherus ait, jugum eſt tyrannicum; id vovere audacia eſt, tueri impoſſibilitas, ſeſe ad id obligare crudelitas. O præclarum morum magiſtrum! Ille numquam Hæreſiarca fuiſſet, niſi fuiſſet impurus. A practicis veritatibus gradus fit ad theoreticas. Ignis inferni impudico gravis, & incommodus eſt: de eodem dubitandum eſt; mox vero, & negandus. Deus momenti unius voluptatem æterna pœna percutiens, impudico injuſtus, & crudelis videtur: mutari non poteſt, igitur delendus eſt. Nemo, Sanctus Auguſtinus ait, Deum negat, niſi ille, cujus, Deum nullum eſſe, intereſt. Pauci ſunt Athei, ſi qui tamen bona fide ſunt, qui impudici non ſint: corporum corruptio, cordis peperit corruptionem, cordis vero corruptio mentem ipſam corrupit. Salomonis impudicitia illum idololatram fecit; lapidea coluit idola, quia jam carnea coluerat. *Idem.*

Vanitas ſæpe ad impudicitiam via eſt.

Vanitas, quæ, uti videtur, mulieribus ad pudicitiam tuendam inſervire deberet, quam ſæpe iiſdem accidit funeſtiſſima? Cum vanitati obnoxia eſt fœmina, jam hominibus placere cupit: quæ placere cupit, non faſtidit amari; & quæ amari gaudet, amare non renuit. Cor, quod ita affectum ſit, jam nimis pudicum non eſt. Cæterum cum mulier admodum vana eſt, quam liberum prębet aditum illi, qui illecebroſis verborum blanditiis illius palpare novit vanitatem! Quam ægre illa a ſe hominem repellit, cujus obſequium ſibi honori vertit, & cujus meritum ſuam commendare putat venuſtatem, licet non obſcure cognoſcat illius conſilia ſuſpicione nequaquam vacare? . . . . Ullane poteſt ſine flagitio pati, vel etiam ſibi procurare hominis obſequia, quem hoc pacto ſua fovere deſideria, & non legitimam ſpem alere patet? *Idem Tomo 4.*

Quam Deo contumelioſum ſit hoc peccatum.

Homo per creationem Dei imago eſt, anima ejus pura eſt, ſpiritualis, incorruptibilis, ut ille. At per impudicitiam delet, vel omnino corrumpit omnia hujus ſimilitudinis lineamenta, animam ſuam materialem, ſenſibuſque obnoxiam efficiens. Quænam Regi inferretur contumelia, ſi ejus imago in limum dejiceretur? Num ille tanta non afficeretur injuria? Numquid illam impunem pateretur? Contumelia vero, quam Deo infert impudicus, numquid minor eſt? Deuſne minus affici debet, cum impudicus, ut ita dicam animam ſuam ſordibus immergit per nequiſſimas voluptates, quibus ſuam carnem commaculat? Ita Deus non dixit poſt peccatum Adæ, & Cain ſe pœnitere, quod hominem creaverit; ſed hoc tandem profeſſus eſt, cum eas vidit impudicitias, quibus homines ante diluvium ſeſe abdiderunt. *Idem.*

Corpora noſtra ſunt templa viventia, quæ per peccatum polluimus.

Si Deus adeo iraſcitur propter injuriam, quæ ſibi infertur, ubi materiale ipſius Templum polluitur, numquid minus iraſcetur, ubi impudicus polluit corpus ſuum, quod eſt vivens templum Spiritus Sancti? Impudicitia in Chriſtiani corde, & corpore eſt *abominatio deſolationis in loco ſancto*. Itane reſpicimus impudicitiæ peccatum, cum illud fragilitatem vocamus? cum illud ſtatuimus argumentum ſermonum magis jucundorum, & noſtræ voluptatis objectum? cum in illo ſupremam felicitatem noſtram ſtatuimus; ac illud Deo ipſi præferimus? *Idem.*

Servitus, in quam hoc vitium adducit.

Miſera hæc mancipia, ſi infamiam ſuam audent fateri, ſuas confitentes miſerias, quam terribili, crudelique exercitatione torquentur noctes, ac dies! quibus vinculis impediuntur, quibus onerantur catenis, cum impudicitia ſua eos ſexcentis fatigat officiis, & obſequiis, quæ licet inutili conatu, ſingulis momentis præſtare contendunt! Quomodonam illa intrinſecus flammarum ſuarum æſtu impuritas devorat, metu, & zelotypia rodit, odio, ira, & furore ad inſaniam uſque compellit; vanis inſaniſque ſumptibus extrinſecus abſumit; torquet mentem, corrumpit animam, corpus deſtruit; illa ſibi in ludibrium vertit, atque cogit tacere, loqui, metuere, ſperare, redire, lugere, vivere, mori, reviviſcere, ſexcentas in mundo ludere perſonas, fieri fabulam populi, & ſæpe earum etiam, quas adamant, quæ ob illorum turpia obſequia ſuperbientes eadem contemnunt. Nullus umquam fuit vel periculoſior hoſtis, vel crudelior tyrannus, vel ſævior dæmon, quam amor iſte crudelis, qui in animam exercet vim, & quidquid magis tumultuoſum eſt, ut illam torqueat. *Maimbourg. Sermone pro feria ſexta poſt ſecundam Quadrageſimæ Dominicam.*

Quam delicata ſit virtus caſtitatis.

Nulla virtus magis tenera eſt, & quæ facilius lædatur, quam caſtitas. Quodcumque vel minimum illi adverſatur, eſt veluti flamma comburens, vel ſaltem cordi nigredinem offundens, quantumvis parum ibi remaneat; & uti loquitur Tertullianus, ſola ſuſpicio eidem poteſt officere. Unicus ſufficit oculorum conjectus, verbum, ſuſpirium, ut cor totum igneſcat. Job licet ſanctus eſſet, poſtquam de dæmone triumphum egit, pepigit fœdus cum oculis ſuis, ne adeo pericoloſo certamini ſe objiceret. Nullus non metuendus intuitus eſt; S. Hieronymus olim nobiliſſimæ virgini ſcripſit: at longe magis mirum eſt, quod legimus in Eccleſiaſtico: *Nequius oculo quid creatum eſt? P. Dozenne in Morali Jeſu Chriſti.*

Eccli. 31.

Tumultus, quem illicitus amor parit in anima.

Quo non adigit hic amor hominem, ubi corde illius potitus eſt? Cum illuc aditum ſibi vult aperire, ſeſe illi quidem objicit ſub imagine jucunda, ac dulcedine referta; ſed ubi ſimul ingreſſus eſt, inſolens fit, & imperioſus. Seſe immiſcet cogitationibus maxime feriis, & ſanctiſſimas quoque prophanat: ingreditur tamquam puer, ſed ibi regnat tamquam tyrannus. Eodem tempore ciet, atque extinguit ſexcenta votorum, & conſiliorum genera; & qui videt ſpem, ac deſperationem, audaciam, & metum, lætitiam, & dolorem jugiter ſibi ſuccedentes, odium, & iracundiam, in ſingula momenta prodeuntem, & affectuum omnium immixtionem, fieri nequit quo minus animo concipiat ingentem aliquam tempeſtatem, ubi ventorum furor attollit, dejicit, pelagique fluctus confundit. *Auctor Sermonum Chriſtianorum, Sermone pro ſecunda Adventus Dominica.*

Hoc vitium ſe ſtatim prodit.

Impudici ſeipſos produnt; quidquid conentur, ut lateant, & hominum oculos fallant. Similes ſunt ardentibus lignis, quæ vel flammarum fulgore, vel fumo prodeunte ſe oſtentant. Ubicumque impudici homines adſunt, putidus eorum fumus, impuræque flammæ illos quales re ipſa ſunt, aperiunt: *Compellit libido, ut appareat turpitudo.* Affectus hic in illis apparere incipit, qui libros amatorios, ſimileſque diligunt, a quibus impudicitiæ cogitationes, ardoreſque aluntur, atque foventur. Id niſi illos corrumpit, oſtendit jam corruptos eſſe: *Si non iſta corrumpunt, jam corruptos oſtendunt*, Sanctus Proſper ait. Deinde illi, quibus placet intueri ſimulacra, tabulas, ac nudata corporum membra chriſtianæ honeſtati contraria; qui impudentiſſime oblectantur dicentes, audienteſve obſcœna, vel æquivoca verba; qui canunt, vel bibulis auribus excipiunt laſciva cantica, eo quod impudici amoris ingenium in illis elucet. Vitii hujus ſcintillæ nitent etiam in ornamentis, in immodeſtis mulierum veſtibus, in nimium liberis converſationibus, in familiaritatibus, in mutuo officiorum, & obſequiorum certamine: quæ omnia oſtendunt, ignem, quo illi flagrant, exiguo tantum cineri eſſe inſepultum. Denique impuriſſimi hujus ignis flammæ effulgent in proſtitutionibus, raptibus, ſacrilegiis, aliiſque ſceleribus omnibus, quæ nominatim proferre pudor vetat. Ut autem tot criminibus cumulus accedat, pluſquam diabolicam homines addunt impudentiam, cum gloriari audent de ſuis impudicitiis, & gloriæ ſibi vertere, quod illos rubore deberet ſuffundere. *Liber cui titulus: La Guerre aux Vices.*

Hieron. l. 1. Epiſt.

lib. 3. cap. 6.

Numquam ſatis præcavere nobis poſſumus contra hoc vitium.

Tertull. de Carne Chriſti 3.

Animadvertit Tertullianus, cum virtus aliqua amatur, ferri æquo animo nequaquam poſſe oppoſiti vitii ſuſpicionem: *Rei diſplicentis etiam opinio reprobatur.* Si impudicitiam deteſtaris, quantum illam deteſtari fas eſt; non ſolum evitandum tibi eſt, quidquid cor tuum corrumpere poteſt; ſed vitę tuæ ratio ita irreprehenſibilis eſſe debet, ut maxime venenata calumnia nihil tibi poſſit objicere: *Rei diſplicentis etiam opinio reprobatur.* Nequicquam ergo te hortor, ut hoc infringas commercium, quod jam pridem male audit; reſpondes quippe nullum munus hac ſuſpicione vacare, nullum hoc eſſe innocentius. Eſto quidem: at nonne plurimi ob hæc colloquia, & familiaritatem hanc obloquuntur? Nonne verum eſt, ita pręberi occaſionem ſuſpicionibus adverſum te? Aliquidne ultra requiritur, ut ſalutare, quod tibi traditur, conſilium tenearis amplecti? Quicumque puritatem diligit, non feret umquam objici ſibi vel ſolam ſpeciem vitii, quod eſt huic virtuti contrarium. Multo magis igitur ex ædibus tuis perſona illa dimittenda eſt, quam nimis deperire accuſaris; quamcumque rationem afferas, ut factum probes, jam nocens es, ubi illam pertinaciter retines. *Lambert, Sermone decimoquarto de Vita Eccleſiaſtici.*

Vitium hoc omnes corrumpit virtutes illius, cui dominatur.

Ubi alicui hoc vitium dominatur, nulla ferme jam in mente illius ratio eſt, nulli ferme boni ſenſus in corde, nulla ferme in anima religio. Egregiæ hę faces obſcurantur ſexcentis vaporibus, qui attolluntur, illiſque offundunt caliginem; etenim ubi ſpiritus corpori imperitare deberet, corpus dominatur ſpiritui, eumque in turpi detinet ſervitute. Boni cordis ſenſus evaneſcunt, ac prima pietatis ſemina ſuffocantur: tanta cęcitas eſt. *Auctor Sermonum moralium, Tomo octavo.*

Nullum detrectatur periculum, ut libidini ſatis fiat.

Nihil inauſum relinquitur, ut miſeræ creaturæ fiat ſatis; illi devovetur libertas, bona, honor, conſcientia, pro eadem cruces, mortificationes perferuntur, de gradu dejicitur qui illam deperit, ad paupertatem redigitur, tot ſe objicit, ut totius civitatis fiat fabula, ut parentum, & conſanguineorum contemptum, ac indignationem in ſe convertat. Numquid cognati deſerendi ſunt, patrum matrumque odia ſubeunda? jam hæc fiunt; numquid ipſa requies amittere, ac ſexcentis indigniſſimis obſequiis ſeſe dimittere oportet? hæc etiam fiunt; periculoſæ nectendæ ſunt artes, & criminoſa conſilia adimplenda? jam & hęc fiunt &c. *Fromentieres Panegyrico S. Joannis Baptiſtæ.*

Omnes honoris, & exiſtimationis rationes negliguntur.

Saltem aures adhibe iis, quæ dicuntur de te: dicet aliquis puellæ cuidam, Mortales omnes de tua imbecillitate loquuntur; exiſtimatio tua peſſum abit, honor tuus evaneſcit; jamjam tamquam proſtituta, ac infamis muliercula haberis. Quidquid de me dicatur; & quodcumque de moribus meis feratur judicium, nihil moror, licet mortalibus omnibus diſplicerem, voti mei ſum compos, dum illi placeam, quem diligo. At vides quantum doloris afferas conſanguineis tuis, quibus cordi eſt tui nominis exiſtimatio, & lugent, quod male audias. Hęc me non movent; & quamvis illis diſpliceam, penes me actionum mearum arbitrium eſſe volo, nemini de illis rationem redditura. *De la Volpilliere, Sermone de impudicitia.*

Cur hoc ſcelus perhorreſcere debeamus.

Mirum videbitur, quod Apoſtolus tanto zelo, atque indignatione in impuritatis peccatum fuerit invectus, quod adeo contrarium eſt ſanctitati, quam Chriſtianus profiteri debet, & hujus ſuggeſtus amplitudo vix nominari patiatur; quia corpus noſtrum dedecorat, carnem prophanat, ac indignos nos efficit, qui Jeſu Chriſti corpori uniamur? Numquid mirum eſſe debet, ſi in primitiva Eccleſia parcius hujuſmodi peccata remittebantur, & ſi diuturnæ in pœnitentibus auſteritates imperabantur? Cum enim hujus ſeveritatis rationem adfert Tertullianus, ait, cum humana caro facta eſt Verbum, & Deus, felici hac unione conſecratam, ſanctificatamque fuiſſe, ita ut quod antea ſimplex erat peccatum, factum fuerit prophanatio, & ſa-

crilegium horribile. Ante Incarnationem, Pater idem perſequitur, humana caro nondum appellabatur Jeſus Chriſtus, & nondum ſacram Divinitatis unctionem acceperat. *Nondum caro Chriſtus vocabatur. In Sermone, qui ſub nomine P. Bourdalove circumfertur.*

Quomodo cupiditas hæc excitetur.

In choreis, atque conviviis impuritatis ignis accenditur; ibi affectus excitantur, ibi concipiuntur deſideria, ibi ineuntur conſilia: deinde vero remotis objectis anima obſidetur quodammodo imaginibus, atque deteſtabilibus phantaſmatis, quę ignem alunt, & cupiditatem, quæ irritant, ac incendunt deſideria, ac denique ad turpiſſima quæque exequenda compellunt conſilia ..... Adde artes, quæ ad paſſionem magis adhuc inflammandam adjiciuntur. Quid! nobiles mulieres, quinque, aut ſex horas in capite comendo, pingendoque vultu impendere, ut mox adeant virorum cœtus ad laqueos jaciendos, atque pręferendam dæmoni facem, qua ubique ignem impuritatis accendat? Noctes integras in choreis inſumere expoſitas oculis, atque illecebroſis aſſentationibus inſipientium adoleſcentum, & eorum, qui in Civitate flagitioſiſſimi ſunt: adhibere quidquid in arte, atque natura periculoſiſſimum eſt ad eorum oculos in ſe convertendos, eorumque mentem faſcinandam; immodico luxui, & amatoriis illecebris addere intemperantiam, &c. *P. de la Colombiere.*

Mala, in quæ hoc peccatum impellit.

In quę flagitia hoc peccatum non adigit? Voluptas eſt imperfecta, ni accedat impietas; voluptates non ſunt ſatis jucundę, niſi brutalitas ſeſe illis immiſceat. Heu! mens mea, cur te obſcœnis ideis vis inficere? Ne detegamus ſæculi hujus turpitudinem, & infamiam, ne lædamus caſtas audientium auriculas, ne polluamus hujus loci ſanctitatem nominibus eorum ſcelerum, quibus auditis Cœlum, ac terra pudore ſuffunduntur; ſufficiat generalibus verbis aſſerere, vitium hoc numquam antea magis exprobratum fuiſſe, & numquam antea magis fuiſſe debacchatum; numquam tantum Concionatoribus ardorem injeciſſe, ut in illud inveherentur, ac illud deteſtarentur; at numquam plures habuiſſe ſectatores, qui eidem famularentur. *De Sancto Martino, Sermone hujus argumenti.*

Cupiditas hæc eſt inexplebilis.

Infortunatum impudicæ carnis mancipium! Quid prætermiſiſti, ut impuriſſimam hanc cupiditatem expleres? Diceris domum tuam evertiſſe, valetudinem amiſiſſe, honorem diffamaſſe, vitam breviorem effeciſſe decies millies infernum promeruiſſe totidem peccatis, quę, ut eidem ſatisfaceres, perpetraſti. Numquid libidinem tuam expleſti? Negant omnes, & ajunt ignem inferni, quem ſub canorum nive tegis, te adhuc urere, & æque ac olim abſumere: *Imples luxuriam, & adhuc eſurit; ſuſtines pœnam, & adhuc creſcit.* Affirmare non dubitabo cum Sancto Auguſtino, Paradiſum ſępe tanto non ſtetiſſe Martyribus noſtris, licet ad illius palmam referendam ſuum cruorem effuderint, quanto hiſce voluptatum mancipiis infame gaudium ſtetit: *Plus torquetur libidinoſus voluptatis amore, quam Martyr Chriſtianus ſanguinis effuſione. P. Texier in Sermone Adventus.*

Mala, in quæ hæc nos impellit cupiditas.

Libidinoſus violenta torquetur cupiditate, eique ſatisfacere ſtudet. Quibus hic malis ſe minime tradit? Vanæ cultor formæ, cujus omnes nutus adorat, nihil relinquit inauſum, ut illi placeat. Furores, iracundiæ, zelotypię, immodici ſumptus, familiæ diſſidia, ſanctarum rerum contemptus, Dei oblivio inevitabiles ſunt hujus cupiditatis effectus. Surdo canit, qui ſe corripere, & objurgare ſtudet; donec cor tuum brutali famulatur libidini, omnibus hiſce vitiis patere neceſſe eſt. Nequicquam fatalis hujus arboris ramos ſecabis, donec truncus vigebit, novos indeſinenter feret. *P. Cheminais, Sermone de affectu prædominante.*

Vitii hujus exitus, & effectus.

Amoris obſequium in ipſis initiis jucundum videtur. Cæce ſequeris blandam voluptatem, quam amor oriens tribuit; hic ſcopulus eſt: at ſi oculos conjicere velis in tragicos inſanæ hujus cupiditatis effectus, quænam exempla in mundo non ſuppetunt? Alius ibi fortunam amittit, alius exiſtimationem, alius ita ſe furore, ac zelotypia corripi ſinit, ut graviſſima quælibet audeat facinora; alius dolore conficitur, quod ſe derelictum intuetur; & omnes vident infelicem ejus commercii exitum, unde vitæ totius ſibi felicitatem pollicebantur. *Idem in Sermone Pentecoſtes.*

Impuritatis principia ſunt peculiari ſtudio evitanda.

Conſuetudo cum mulieribus eſt impuritatis principium, quod leve putatur, & tamquam omni culpa vacuum ducitur; ſed nihilominus ſecundum Scripturæ, Patrumque doctrinam admodum eſt periculoſum. Mulieris verba, Sapiens ait, tot ſunt laquei, quibus animæ attrahuntur, ac irretiuntur; *Irretivit eam multis blanditiis.* (Prov. 7.) Converſationibus ſuccedunt epiſtolia; epiſtoliis conventiones, conventionibus vero infinita peccata. Quid dicam de amatoriarum fabularum, impudicorumque librorum lectione, quod alterum eſt impuritatis principium, quod citra ſcelus eſſe non poteſt? Statim ac amas, quod legis, illud exercere oblectaris, & Deus, qui intimos animarum ſcrutatur receſſus, in corde illius, qui his prophanis lectionibus vacat, eaſdem videt impudicitias, quæ in his voluminibus exhibentur. Igitur in ipſis impuritatis initiis omnia ſunt criminoſa. *In Specimine ſermonum pro Dominicis, Dominica tertia Quadrageſimæ.*

Mala, quæ libido in homine gignit.

Impudicitia hominem, & omnia, quæ ad illum pertinent, perturbat: Mentem, ſexcentis conſiliis, quorum alia ab aliis evertuntur, ſexcentiſque conatibus, qui ſæpe ad inſaniam tendunt, animum ſexcentis curis, ſollicitudinibus, atque crudeli ſpe, quæ illum aſſidue adigunt ad deſperationem: corpus ſexcentis periculis, quibus objicitur, ſexcentiſque turpibus morbis, qui efficiunt, ut adhuc vivens moriatur: bona inſana rerum omnium diſſipatione: *Ne des fornicariis animam tuam, ne perdas te, & hæreditatem tuam.* (Eccli. 9.) Teſtis eſto prodigus filius; quem libido ita perdidit, ut ſuilli pecoris factus fuerit cuſtos: *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe.* (Luc. 15.) Familiam etiam perturbat ſerens diſſidia patres inter, & filios, viros inter & conjuges, inter conſanguineos, fratres, amicos. Denique impudicitia ubique ciet bellum, gignit confuſionem, atque tumultum. *Idem Sermone pro feria quarta hebdomadæ primæ in Quadrageſima.*

Exemplum Magdalenæ, & cauſa criminum illius ante converſionem.

Generis, ac divitiarum privilegiis illud quoque fragilis formæ accedebat in Magdalena, habebat cor, quod antequam ardoribus divini amoris igneſceret, infernali flagrabat igne, omnem animæ ſubſtantiam devorante, & in iis, quos urit, nullum virtutis germen relinquente. Magdalena ſuiipſius ultrix facta ſtatim eſt idolum plurimorum, qui eam coluere. Deſiderium, quo videre, & videri cupiebat, brevi eam conſtituit objectum eorum obtutuum, quorum præda cor eſt, uti loquitur Propheta, & eorum oculorum iniquitatibus, atque adulteriis repletorum qui impudicitię ſcintillas perflant, quibus accenditur. Finge tibi adoleſcentulam, quæ in ſæculi cœtibus niteſcere incipit, quæ naturalibus cumulata bonis, ab omnibus colitur, & habetur in pretio; cujus vanitas alitur, atque orientibus affectibus ſuis vias omnes ſtratas nanciſcitur; hæc eſt imago Magdalenæ ſine ulla præcautione, atque experientia incedens in lubrico primi ingreſſus in mundum, ac temere, & inconſiderate ſuſcipientis dulces iniquitatum vias, quæ ducunt ad mortem. In ipſis initiis cum nondum pudoris fines perfracti ſunt, & cum cupiditatum impetus inſtitutionis fræno coercetur, & lapſus turpes horrorem cient; periculoſa colloquia, immodeſti ornatus, otioſæ lectiones, indiſcretæ vanitates, ſpectaculorum illuſio, laudum virus, placendi libido ſenſim ad ingentia flagitia diſponunt. Hæ ſunt, quidam ait, labentis caſtitatis indicia. *Abbas du Jarry, in Sanctæ Mariæ Magdalenæ Panegyrico.*

Primis ſtatim impuritatis principiis remedium afferendum eſt.

Ad vitii hujus adeo pernicioſi curſum inhibendum infringenda ſunt funeſta principia, quorum effectus adeo ſunt deplorabiles; ubi quia ſenſuum infirmitates nondum ſeſe illis immiſcuerunt, ſine ullo metu foventur hæc mutui amoris venenata commercia; & quibuſdam veluti finibus peccati ſtatutis, citra religionem iis omnibus indulgetur, quæ turpitudine carent. Sed cum infelicium horum amorum effectus ut plurimum nexu quodam invicem hæreant, itaut abyſſus abyſſum vocet; hæ pudoris, & urbanitatis reliquiæ, quæ ad aliquod tempus coercent, & quæ non ſatis caute ſervantur, quam primum intereunt. *Idem, ibidem.*

Iſtud vitium eſt hoc ſæculo commune.

Noviſſima hæc ſæcula, quibus exempla pœnitentiæ Magdalenæ non occurrunt amplius oculis noſtris, horum malorum ſæpe nobis objiciunt imagines. Videntur, quæ palam attollunt impudicitiæ vexillum, quæ ſua jactitant ſcelera, atque, ut Apoſtolus inquit, gloriam in ſua confuſione conſtituunt .... Videntur homines ſi hoc nomine appellandi ſunt, qui in ſeipſis Dei imaginem deformant, ac nullum ipſius veſtigium relinquunt, ex quo valeat agnoſci; quin hominem in brutum transformantes, ſpiritumque de gradu dejicientes, ut illum carni ſubjiciant, fiunt ſimiles jumentis intellectu carentibus, qui iterato ſeſe voluptatibus im-

mer-

mergentes luteam ſibi efficiunt animam, ubi omnibus rationis, gratiæque extinctis luminibus, iis involvuntur tenebris, quibus olim Ægyptii fuere percuſſi. Videntur, qui furenti hoc dæmone obſeſſi, de quo in Evangelio ſermo eſt, modo in aquam, modo in ignem ſe conjiciunt, qui vel combuſti ardoribus impudicitiæ, quibus abſumuntur, vel immerſi obſcœnis deliciis, quibus ſe penitus abdunt, in ſepulchris tantum inhabitant, ubi ſuorum flagitiorum corruptionem exhalant; modo hic, modo illic; infernalis ignis, quo flagrant per varia objecta quærit, unde alatur, & poſtquam Virginum Innocentiam ſeduxerunt, conjugum fidem corrumpunt. *Idem.*

Confuſio & pœnitentia, quam præſeferre debet mulier, quæ flagitioſe vixit.

Chriſtiana mulier, quæ poſtquam ſexui, & Religioni tuæ dedecus attuliſti, deberes in cinere ac cilicio agere pœnitentiam, æternis damnare lacrymis oculos, qui tot noxias affectiones inflammarunt; in pœnitenti receſſu extremos ducere ejus vitę annos, quam tot ſceleribus coinquinaſti, atque impuriſſimum corpus tuum, cui thura mortales adoleverunt, efficere victimam, cujus ſacrificium gladius mortificationis indeſinenter inſtauret; erubeſcere, quod limum hunc in carne tua paulo elegantius, quam in altera elaboratum tantopere coluiſti; pudore ſuffundere, quod adhuc mundi oculos paſcis inani luxus tui apparatu, cum ad ſcandala reparanda inſignia pœnitentiæ præbere deberes exempla. Te pudeat quod tanta amaſiorum certatim inſervientium corona ſtiparis, quæ hodie ſub dæmonum pedibus conculcareris, niſi tibi Deus relinqueret tempus juſtitiam ipſius vera converſione leniendi. *Idem.*

Exhortatio ad impudicos, ut cedant ſceleribus.

Audite peccatores, in quibus inveteratus libidinis habitus abiit in neceſſitatem; qui voſmet affectionibus mere animalibus derelinquentes animam prorſus carnalem vobis effeciſtis; octo & triginta annorum paralytici ſecretis irretiti vinculis, quæ captivam detinent libertatem veram, quin ne moveri quidem ad pœnitentiam poſſitis; qui inſignibus impuritatis veſtræ ſcandalis Urbes, atque Provincias infeciſtis; qui millies immerſi fuiſtis in impuris fluminibus Babylonis, & qui ſecreto omnem abjicitis ſpem emergendi ex aquis lutulentis, atque profundis: Audite ſecretam Dei vocem, invitantis, ut ab hac perditionis via recedatis, manumque tendentis, ut de abyſſi hujus altitudine educat, atque omnia ſuggerentis adminicula, ut pœnitentiam agatis. *Idem.*

In hoc ſcelus pluribus modis fit lapſus & aliter quam extremum facimus audendo.

Quæritur Tertullianus, quod ævo ſuo non deerant quidam, qui caſtitatem ad hoc redigebant, ut abſtinerent adeo abominabili vitio, cujus nomen numquam in Chriſtiani hominis ore verſari deberet: *Quaſi pudicitia in ſola carnis integritate, & ſtupri averſione conſiſtat.* Verum hodierna quoque die plurimi in eodem errore verſantur. Quot enim oculis ſuis integram libertatem relinquunt; quot eos devorant libros, quorum lectio mentem prophanis cogitationibus implet, quot aures impudiciſſimis ſermonibus adhibent? Quot ſunt qui jugi meditatione ſecum reputant prophana, & obſcœna colloquia coram ſe ab impudiciſſimis habita? Quot denique omnia ſibi licere putant, & contra caſtitatem ſe haud peccare arbitrantur, quia in extrema flagitia nequaquam labuntur? *Lambert Sermone decimoquarto de Vita Eccleſiaſtica.*

Optima hujus peccati evitandi ratio, eſt peccandi occaſionem effugere.

Affirmare poſſumus tutiſſimam rationem ab impuritatis crimine abſtinendi eſſe diligentem earum perſonarum fugam, quæ vos in illud allicere poſſunt: docet enim Sapiens, quærentem periculum, certo in eodem interiturum. Si Providentia in mundo vos retinet, ſcitote ibi magna cautela eſſe vivendum; atque fidelibus omnibus pactum feriendum eſſe cum oculis ſuis, ne videant ea, quæ cor ipſum corrumpere poſſunt; ut ponant ori ſuo cuſtodiam, & oſtium circumſtantiæ labiis ſuis, quod illa concluſa teneat, ne immundum verbum aliquod proferant; ut obſtruant ſepibus aures ſuas, ne impudicum audiant ſermonem; ut denique mentem, & cor ſuum claudant, ne ullam inhoneſtam ideam, ac ullum pravum deſiderium percipiant, namque in Lege Dei prava deſideria æque ac facta ipſa mala prohibentur. Cur autem dicendum eſt, Sanctos Patres tanta diligentia impuritatem evitaſſe; nos vero adeo parum nobis ab illa cavere? Numquid illi nobis erant infirmiores? Haud ita ſane, ſed nos illis ſumus audentiores. *Abbas de Monmorel, Homilia in 12. Dominicam poſt Pentecoſten.*

Quanta cura Job ſibi cavebat ab hoc ſcelere.

Sanctus vir Job nequaquam ignorabat naturalem corruptionem, & fragilitatem hominis, & minimas etiam ſcintillas repente in magna incendia exardeſcere. Teſtatur ille ſe cum oculis ſuis fœdus pepigiſſe, ut ne minimum quidem cogitarent de virgine. Ille Evangelio obſequebatur ante Evangelium; & quemadmodum Jeſus Chriſtus cordis, & oculorum puritatem nobis commendavit, ita ille hac in re potiſſimum caſtus erat; nihil ſe præſtitiſſe putans ſi a gravioribus peccatis abſtinuiſſet. Aliquiſne inter clauſtra ſepoſitus majori ſolertia virtutem hanc ſervare poſſet, quam Sapiens hic Princeps inter tot illecebras, quæ in Aulæ fulgore non deſunt? Quænam vigilantia in intuitu? Quod cum oculis ſuis certamen, prohiberentur videre ea, quę ipſi poſſent officere? Quæ diligentia, ut in ipſis etiam cogitationibus gereret puritatem? *Liber cui titulus: Vitæ Sanctorum Veteris Teſtamenti, in Vita Sancti Job.*

Horror hujus ſceleris habendus.

Prætermittamus hæc graviſſima ſcelera, eaque ſecreto plorare ſufficiat. Meminerimus iræ, quam contra hæc flagitia teſtatus eſt Deus; ac mente reputeremus ignes Sodomorum. Tunc viſa eſt quædam inferni ſpecies, & ſpecies, quę ſemper viget. Conjiciamus quam horribile ſit coram Deo hoc ſcelus, quandoquidem ad illud puniendum infernum effingit ante ipſum infernum ulciſcitur impuritatem, quæ erat contra naturam, & repentino igne comburit eos, quorum anima deteſtabili igne urebatur. *P. Caſtillon Sermone quodam in Octava Eccleſiaſtici Sacramenti.*

Vitium hoc qualibet ætate metuendum.

Invenietis aliquando ſenes, quibus gravitas, & anni ſeverum tribuunt oris habitum, qui in mundo modeſti ſunt, & qui ob ſpeciem virtutis in pretio habentur; ſed qui ſecreto atque in cordibus ſuis ſeſe tradunt omnibus vitiorum generibus, quæ mortalium oculis auferunt. Ipſorum imaginatio illis earum rerum, quas depereunt, exhibet objecta; idea hæc illis blanditur, eoſque inhoneſta voluptate perfundit, cujus neque teſtem habent, neque conſortem. Scelus hoc in corde committitur, ibique ſemper latebit, quouſque Dominus venerit, qui tenebrarum caliginem illuminabit, & abdita cordium conſilia in apricum proferet. Oportet ergo potiſſimum, ut noſtris cogitationibus invigilemus. Actiones, quæ ab organis pendent, poſcunt tempus, auxilium, & commodas occaſiones: ſed operationes ſpiritus momento fiunt ſine labore, ſine difficultate, quin commodum tempus expectandum ſit. *Ex quodam Sermone S. Baſilii contra peccata cogitationis.*

Impuritatis vitium medicina non caret.

Hoc peccatum quantumvis grave, & deteſtabile ſit, pœnitentiæ tamen medicinam admittit. Hæc veritas eſt, quam error primis Eccleſiæ temporibus labefactare contendit. Neſcio quinam immodicæ ſeveritatis ſenſus Tertullianum impulerit, ut affirmaret, impudicitiam malum eſſe incurabile, & nullo pœnitentiæ conatu delendum. Principium, quo id probare nititur chimericum eſt. Ait enim, per incontinentiam ipſam animæ ſubſtantiam corrumpi, & in reali ſenſu ad corporis naturam redigi. Error hic non multos habuit ſectatores; ſed omnes fere impudici longe aliis ducti principiis ſibi perſuadent, fieri non poſſe, ut a ſe habitum ſuum revellant; ac ſæpe deſperationem ſuam tamquam excuſationem prętexunt, quod in flagitiis ſuis perſeverant. Non equidem inficior ex affectionibus omnibus impudicitiam difficillime ſuperari, ſive Dei gratia ſpectetur, qui ſuum removet ſpiritum ab homine, cum factus eſt caro; ſive peccator reſpiciatur, qui omnes animæ ſuæ facultates abominabili hoc ſcelere infirmatus nanciſcitur. Attamen affirmo nequaquam in deſperatis habendam eſſe vitii hujus curationem, quantumcumque difficilis ſit. *Sermo manuſcriptus P. Franciſci Catrou Jeſuitæ.*

Remedia contra hoc vitium.

Non deſunt aliqui, in quibus vitium non eſt paſſionis, ſed licentiæ, ac ſolutionis vitæ effectus; quorum eam adfert imaginem Sanctus Petrus; quæ terrorem injicere debet: *Habentes*, ait ille, *oculos plenos adulterii, & inceſſabilis delicti.* (2. Petr. 2.) Homines ſunt, quorum oculi non aliud perflant, quam licentiam; quodlibet objectum excitat deſideria illorum; & cor eorum in ſingulos ferme oculorum motus ſingula peccata committit. Quid illis dicam? Quid? De ſalute eorum actum eſſe? Semel efformato habitu, eos neceſſitatem contraxiſſe in ſceleribus ſuis ſemper verſandi? Abſit, me ſpem abjicere ſalutis ægrotantium, quibus Dei ſanguis aliquam adhuc pœnitentiæ ſpem admittit. Profecto malis gravibus violenta ſunt admovenda remedia, eane experti eſtis, auditores, illa adhibuiſtis? Remedia hęc ſunt oratio, uſus Sacramentorum, corporis mortificatio. Oratio quidem; hoc enim dæmoniorum

genus, Jeſus Chriſtus ait, non ejicitur niſi in oratione, & jejunio. Hac Dei Miſericordiam flectetis; hac obtinebitis gratiam, ſine qua nihil poteſtis; hac accedetis ad Deum, & qui carnales eſtis, eluetis eas maculas, quibus voſmet infeciſtis. *Idem*.

Quam periculoſus ſit, ac difficile vincendus hic inimicus.

Si D. Auguſtino credimus, graviſſimum, atque periculoſiſſimum Chriſtianorum certamen eſt ſeſe contra hoc vitium tueri, inimici robur, ejus pertinacia, ſemperque vincendi neceſſitas nos ſexcentis objiciunt periculis: hæc voluptatum omnium eſt ardentiſſima, cujus cupiditas adeo violenta eſt, ut de ſana mente dejecerit Salomones, vicerit Davides, Samſones proſtraverit. Nulla eſt ſapientia, nulla ſanctitas, nulla virtus, cui hic hoſtis metuendus non ſit; & nihilominus familiaris eſt, atque domeſticus, ſemperque nobis inhæret: illum nobiſcum gerimus, vim ex viribus noſtris deſumit, nos armis noſtris profligat, neque umquam recedit niſi poſtquam animæ, & corporis facta fuerit receſſio. Omni tempore, quolibet in loco omnibuſque in occaſionibus nos urget, atque perſequitur; ubique inſidiæ, ubique doli, ubique furentes oppugnationes, perenne bellum intra noſmet. *Inviſcerata pugna*, quemadmodum illam Caſſianus appellat. Proh Deus! quomodo adeo ſævis inſultibus reſiſtere poſſumus, niſi peculiari Dei protegamur auxilio? *Auctor Anonymus*.

Hæc paſſio in omnia criminum genera impellit.

Quibus ſceleribus impar eſt, qui ſemel furenti huic cupiditati fræna laxavit? Ut huic ſatisfaciat nonne non ſolum honorem, atque ſubſtantiam, verum etiam valetudinem, vitamque adducit in periculum? Quot infidelitates, quot proditiones, quot cędes, quot ſacrilegia propter illam quotidie contingunt? Poteſtne aliquis cordis ſui deſideriis laxare habenas; atque pudoris, & honeſtatis fines prætergredi, quin abdicet quidquid probitas, juſtitia, & innocentia vocatur; quin Dei legem ipſamque naturæ vocem contemnat, quæ licet corrupta ſit, adhuc impellit homines licet impuriſſimos ad tenebras inquirendas inter ſua ſcelera, atque de mortalibus omnibus, & ſibi quoque, ſi fieri poſſit, occultanda inconditarum affectionum ſuarum flagitia? *In Orationibus Gallicæ Accademiæ oblatis*.

Impuritas in cordibus noſtris Dei amorem extinguit.

Deo prælationis amor debetur; hic uni tantum debetur Deo, & nihilominus a mortalibus quotidie corruptibilibus, & mortalibus defertur idolis, quibus in ſacrificium offertur, quidquid pretioſiſſimum eſt, quibus omnes cogitationes, ſenſuſque omnes devoventur, quibus placere in omnibus homines ſtudent, ipſis idolorum cultoribus nocentiores, qui prophanum dumtaxat thus adolent Diis ligneis, atque lapideis; quippe injuriæ, qua verum Deum laceſſunt, adjiciunt etiam abominationem offerendi corruptæ, nefariæque carni ſacrificia. Fierine poteſt ut ſperent adhuc ſe facile Deum ad Miſericordiam flexuros, ut veniam tribuat ejus ſceleris, quo ſibi ſua jura auferuntur, ut idolo carneo ſexcentis ſceleribus inquinato deferantur? Sperarene poſſunt, ullam ejus criminis, quod omnem in corde amorem Dei extinguit, excuſationem eſſe admittendam? *Auctor Anonymus*.

Impudici, ut plurimum ſcandalum afferunt & impudicitia eſt peccatum ſcandali.

Impudici ut plurimum ſcandalum afferunt, atque inhoneſtis ſermonibus, incompoſitis geſtibus, actionibus nimium ſolutis, ſexcentiſque artibus aliis conantur infirmorum animas in eas detrahere inſidias, quas illis ſtruunt; quamobrem pro viribus infamis hujus vitii enormitatem imminuunt. Hoc fragilitatis, atque humanæ imbecillitatis peccatum appellant, quod facile remittit Deus, quamvis nullum ſit flagitium, quod gravioribus pœnis in Bibliis punitum videatur . . . . Impudicis etiam ſcandalum inferentibus adnumerari poſſunt illi, qui domi ſuæ obſcœnas exponunt tabulas, & ſimulacra turpes nuditates repræſentantia; qui laſcivos venditant libros, vel proſtrare patiuntur; illæ omnes, quæ immodeſtis utuntur veſtibus, quæ in indumentis ſuis indecoros induendi modos, pudoremque lędentes adſectant. Hi omnes ſimul duobus, iiſque graviſſimis ſe obſtringunt ſceleribus, quorum alterum eſt contra virtutem, cui directe adverſantur, quę puritas eſt; alterum vero ſcandalum, quod opponitur charitati. *P. Gegou, libro cui titulus: uſus Sacramentorum Pœnitentiæ*.

Signa, ex quibus judicium ferri poteſt, quam commune ſit hoc vitium in mundo.

Hoc vero peccatum in mundo vulgatum eſſe, plurimoſque damnari propter facilitatem labendi vel inde innoteſcit, quod plerique minime religioni ſibi vertunt hac in re ſequi naturale ſtudium, vel potius tranquillitatem, ac pacem, qua vitam ſuam in illius ſordibus tranſigunt; perinde ac peccatum iſtud minime contineretur iis legibus, quas Deus nobis reliquit, vel quaſi hoc ſibi minus eſſet, quam aliis crimen. Hoc ipſum liquet ex licentia, qua inter ſe utuntur; ex vanitate, qua geſtiunt ea narrare, quę ſibi obtigerunt, & ea etiam, quæ minime obtigerunt: ex tempore, quod huic tradunt cupiditati; ex jugi cura, qua illam explere ſtudent: ex periculis, quibus ſe objiciunt, & ſumptibus, quos erogant, ut eidem ſatisfaciant; denique ex jucunda, quam hujus ſceleris habent, idea, ſenſibilique impreſſione; quam illud efficit in corde illorum, & exiguo loco, quem toto vitæ curriculo Deo relinquit: *Liber cui titulus: De Puerorum Educatione. J. Pici*.

Impudicitia impurum hominem objicit cæcitati, quæ eſt hujus peccati pœna.

S. Ambroſius narrat Theotimum quemdam hominem voluptatibus deditum maluiſſe oculorum ſubire jacturam, quam infamem hanc abjicere cupiditatem. Infelix iſte in ſceleris ſui ardore eam ſenſit cæcitatem, quæ erat conſecutura, & decrevit potius cæcum eſſe, quam vitio huic frenum injicere. *Vale*, exclamavit ille, *vale amicum lumen*. Formoſe Sol, jucundum lumen, te deinceps nequaquam videbo; at cupiditati meę ſatisfaciam. Hoc ipſum dicere poſſunt homines voluptatibus mancipati; cum primum cupiditatibus ſuis indulgere incipiunt. Divinæ veritates, adorabilia Spiritus Sancti lumina, ſalutares gratiæ radii, mihi non affulgebitis. Dominus vos effundet in animam meam, ego vero non videbo vos. Fruſtra divinitus illuſtrabor, incedam in tenebris, & cæcitas mea me in abyſſum adducet. Ecce quo voſmet redegiſtis, vos, quibus tot annos flagitioſiſſima dominata eſt impudicitia: Ecce quid vobis expectandum ſit, qui hodie infames nectitis nodos ſola morte diſſolvendos. *P. la Peſſe Sermone de Impuritate Tomo 5. Sermonum*.

Felicitas eorum, qui divina adjuti gratia ſeſe ab hoc vitio præſervarunt.

Si hactenus veſtram tutati eſtis integritatem adverſus illecebras hujus voluptatis, quę mentem excæcat, & cor indurat; millies quotidie gratias agite Domino ob adeo peculiare beneficium; ſed longe attentius quam antea vobiſmet invigilate ſervaturi theſaurum adeo expoſitum, adeoque pretioſum; puritatem veſtram reſpicite tamquam pignus fortaſſe tutiſſimum ſalutis veſtræ. Fidenter ingrediemini in viis Domini, ſi illam a mundi hujus inſidiis, atque concupiſcentię ardoribus tuebimini. Animæ mundæ, quę imbutæ non eſtis adeo generali hujus ſæculi labe, quęnam eſt gloria veſtra, cum Deo victimam oculis ejus dignam offerre poſſitis! Heu ne lugeatis, violentiam, quam vobiſmetipſis ferre contemptum, quem tolerare a mortalibus debetis, & abſentiam ab eorumdem oculis, atque deliciis. Angeli cœlorum vos reverentur; oblectatur Deus ſuas in vos gratias effundens; omnes viri boni vos colunt, ac habent in pretio, & in omnibus anguſtiis veſtris teſtimonium conſcientiæ veſtræ vos conſolatur. *Idem*.

SUPPLEMENTUM.

Severitas qua Deus punit impudicitiã.

AUT Fides omnis abroganda eſt Sacris Bibliis, aut fatendum eſt, numquam magis enituiſſe divinæ juſtitiæ ſeveritatem, quam cum voluit animadvertere in homines & nationes hoc ſcelere infectas. Per mundi totius diluvium, per totius Sodomiticæ regionis incendium; per internecinam exercituum, Tribuum, populorumque integrorum cladem oſtendit, quo uſque ille flagitium hoc perhorreſceret. Maxime terribilibus uſus eſt inſtrumentis, ſæviſſimaque barbarorum crudelitate ad delendas nationes hoc ſcelere corruptas: Ferrum, ignis, & aqua, ipſa etiam tellus miniſtri fuere juſtitiæ illius, ut ulciſceretur dedecus quo ex hoc deteſtabili impudicitię vitio afficiebatur. Sine ullo ætatis, ſexus, conditionis, non autem meriti diſcrimine, juſtitia ſententias ſuas executa eſt; iiſdem vulneribus opprimens nocentem, ac innocentem, peccatorem pertinacem, & pœnitentem; puerum ſine nequitia, & animal ratione carens, ne lapidibus quidem anima, arboribuſque ſenſu vacuis parcens, devorans omnia igne furoris ſui; quin ad ultionem hanc exequendam opus eſſet terræ abyſſus pandere, & cœli fornaces aperire, dejiciens de cœlo infernum ſulphuris, & flammarum, Salvianus ait, impudicorum ſupplicium conſummaturus: *Super impium populum gehennam miſit de cœlo*. Tot hæc peccatorum centena millia, non erant niſi caro, cinis, & pulvis, ſimiles nobis: Deus illos, ſicut nos, propriis manibus effinxerat, flatuque oris ſui animaverat. Non ignorabat ergo operum ſuorum fragilitatem, & non ideo tamen ceſſabat quo minus illos ferreo ſceptro

De Gubern. Dei l. 1.

contereret, tamquam vaſa ſordibus repleta, & ob eamdem cauſam horrore digna. Quodnam aliud ſcelus ſæpius, aut terribilius in caput ſuum ultionis divinæ fulmina detraxit? Niſi fremitum edimus, niſi perhorreſcimus, vere ne dicere poſſumus, adhuc in cordibus noſtris aliquam fidei ſcintillam ſupereſſe? Hanc ſaltem excitemus adſpectu inſignium pœnarum, quas Deus exercet quotidie, & ſæpe etiam inſpectantibus nobis in privatum aliquem hujus flagitii reum. Pœna, quoad vitam, pœna quoad ſalutem. Quoad vitam in valetudine, honore, voluptate; in valetudine propter morbos, in honore propter infamiam, in voluptate propter omnimodam tranquillitatis jacturam. Quoad ſalutem in induratione cordis, & impœnitentia. Miſer idcirco ſecundum mundum, & ſecundum Deum; damnatus in utraque vita vere eſt peccatorum omnium calamitoſiſſimus. *P. de la Rue in Quadrageſima*.

Triſtes effectus impudicitiæ.

Quænam in moribus mala hoc impudicitiæ vitium conſequuntur! In quot alia flagitia flagitium hoc perducit! Nonne jure dici poteſt per primum hoc ſcelus innocentiæ fieri jacturam? Quot inde in ipſa valetudine detrimenta? Plerique morbi habituales, hęreditarii, & populares ex hoc crimine habent originem. Accelerat in pueris ſenectutis caducitatem; traducit ad poſteros parentum imbecillitatem, unius hominis tabem ad populum univerſum extendit. Quænam inde honoris impendia? Sextus integer non alium fere gloriæ ſuę habet inimicum. Quodcumque ſit fæminæ vitium, ſi pudica fuerit, ſemper habet unde glorietur; ſed quamvis aliam jactitet virtutem, huic uni vitio mancipata, gerit in fronte ſuum dedecus. Quænam inde fortunarum damna? Num quidquam vulgatius eſt, quam per libidinem fieri imparem, & magnis muneribus indignum? Quam ſe inviſum illis, a quorum pendent arbitrio? Quam ſibimet viam eorum ſuſtinendorum eripere? Quæ inde pro familiarum, rerumque publicarum utilitate mala? Ampliſſimæ domus everſæ; nobiliſſimum genus corruptum, opulentiſſimæ divitiæ diſſipatæ, Throni diruti; Regna afflicta. Conſanguinei, & amici ſe invicem produnt, ac vendunt, veneficia cedunt in jocum, prophanationes in artem, cædes in ſpectaculum. Quænam conſcientiæ vulnera? Hic Dæmon mutus omnes ſuos conatus ingeminat, ut peccatum veſtrum celetis non ſolum in oculis hominum, verum etiam, ſi fieri poſſet, Dei. Hinc diſſimulatio, mala fides, ſilentium, mendacium in confeſſione: hinc Sacramentorum abuſus, ſacrilegium, hypocriſis. Quomodo ſuſtinendus ſolus hujus narrationis horror? Quomodo igitur ſuſtinendus horror earum rerum, quæ ſunt ejuſdem materia? Rectam ingreditur viam, quæ ad omnia adducit mala, qui ſinit cupiditatem hanc ingredi in animam ſuam. Magna faſcinatio eſt, quod exemplum omnia poteſt, ut hoc nobis ſcelus ſuadeat, & nihil poteſt, ut nos inde amoveat. Omnes labuntur; conditiones omnes hac labe infectæ ſunt; hoc ſatis eſt, ut tu quoque inficiaris. Sed omnes inde patiuntur, omnes fiunt calamitoſi, omnes ſæviſſimos experiuntur effectus; hæc nihilum valent, ut te inde divellant. Omnibus funeſtis his caſibus quilibet aſſueſcit; quilibet per omnes hoſce horrores viam ſibi ſternit complanatam, finem propitium, ſucceſſum prorſus novum, ſortem peculiarem; & triduo poſt, cum noluerit alienis exemplis uti, ut vitæ rationem mutaret; ipſe erit aliis exemplo. *P. de la Rue in Quadrageſima*.

Impudicorum mala deberent nobis impudicitiæ horrorem immittere.

Animæ Chriſtianæ, quæ finitis voſmet excæcari ab hoc periculoſo Dæmone, ne expectetis Prophetas de cœlo, qui vobis veſtræ infirmitatis effectus aperiant. Circumferte oculos in omnes terras, & in omnes aulas, ac in omnes hominum conditiones, ſatis ſuperque invenietis Prophetas, qui ex iis, quæ evenerunt, portendent ea, quæ vobis eventura ſunt: *Hæc dicit Dominus*. Hic fuit priſcorum Prophetarum clamor, & id quoque vobis recentes clamabunt: Hæc vobis dixit Dominus in Bibliis; eos qui dedecore afficiunt templum ſuum, hoc eſt proprium corpus, dedecore affectum iri; putredinem, & vermes devoraturos impudicum adhuc viventem: concupiſcentiam inexplebilem eſſe, & ad extrema quævis adducere. Hoc vobis dixit per Prophetas ſuos; & non audiviſtis illos: hoc dixit etiam per peccatores, per eos, qui ejuſdem ætatis, generis, conditionis, & fortaſſe etiam cognitionis erant. Numquid non credes? Fortuna hæc everſa, eo quod male vertit illud impudicitiæ negotium. *Hæc dicit Dominus*. Opes hæ tot laboribus, curiſque partæ, & tam brevi per inſanas adoleſcentis voluptuoſi profuſiones diſſipatæ; *Hæc dicit Dominus*. Curſus hic florentium annorum per intemperantiam, atque libidinem ſucciſus! *Hæc dicit Dominus*. Contemptus hic in tot familias pridem illuſtres, atque nitentes, modo vero inviſas, & voluptuoſæ vitæ labe notatas effuſus: *Hæc dicit Dominus*. Tot merita oblivioni inſepulta: tot opera præclara per libidinum ſcandalum deleta: *Hæc dicit Dominus*. Hæc oracula nonne ſunt contra vos, qui eamdem viam ingredimini, & eodem igne conflagratis? *Diſpereant omnes, qui fornicantur abs te*. At enim videtis voluptuoſos proſpero rerum curſu gaudentes, florenteſque. Hos numerate, eorumque numerum cum illo miſerorum libidinoſorum conferte. Sciriſne, quid reſervet Deus his voluptuoſis toleratis? Quid reſervabat tot aliis, qui poſt diuturnam patientiam tandem infelicitatis ſuæ momentum invenerunt? Non creditis verbo illius, credite ſaltem experientiæ, & famæ, auribus oculiſque veſtris credite. Non credatis autem Dæmoni huic cœco, & muto, qui vos fallit, & perdit. Quod ſi per fragilitatem ceſſiſtis conatibus ejus, infringite vincula fortis hujus armati, & petite a Deo gratiam ad illum ea, qua fieri poteſt ſinceritate redeundi. *Pater de la Rue in Quadrageſima*.

Pſal. 72.

Funeſti effectus impudicitiæ.

Videtur David manus ſuas imbuere ſanguine ducum ſuorum maxime ſtrenuorum, atque fidelium; illum adegit impudicitia. Videtur Salomon filius ejuſdem coram Idolis proſtratus illa thure venerari; mulierum amor illum impulit. Videtur quotidie pietas, fides, reſpectus, & cognitio Dei ſenſim evaneſcere in moribus adoleſcentum; num alia quærenda cauſa eſt præter impudicitiæ documenta, quæ ſimul cum Religionis præceptis hauriunt, vix ex incunabulis egreſſi per educationis ſuæ mollitiem, & exempla domeſtica? Numquid retroactis ſæculis viſa ſunt ſortilegia, & venena in artem, conſuetudinemque migrare? Mulieres, filiæ, ſorores, matres fieri interfectrices patrum, fratrum, filiorum, virorumque ſuorum? Quod huic ſimile nobis narraverat antiquitas, non habetur amplius pro fabula; noſtri ſæculi effrænata vivendi licentia fabulam in veritatem convertit. Sed funeſtæ diſſenſiones, quæ ducentis ante hanc diem annis dilaniarunt Europam Chriſtianam, ac deformarunt Religionem tot variis reformationis, novitatiſque perſonis; hæreſes, ut verbo dicam, quæ in hoſtes converterunt accolas noſtros, cives, amicos & conſanguineos, ullumne magis generale principium habuerunt, quam morum corruptio? Quid eramus? quomodo vivebamus, cum hæreſis in Galliis finitimiſque ditionibus oborta eſt? Undequaque ignorantia, intemperantia, brutalitas, libido dominabantur. Ne quæramus amplius, quid factum fuiſſet de pietate in ſublimibus, & in civilibus conditionibus; numquid in ſanctioribus miniſteriis reperiebatur? Non amplius pietas efficiebat Presbyteros, Cænobitas; ſed ſors, cupiditas, parentum libido, vitæ otium. Afferebantur in clauſtra, & ad aras corda nequiſſimis cupiditatibus corrupta. Quid mirum eſt, quod Religionis ſpecies, quæ omnes horrebat auſteritates, proſcribebat vota, ſuperſtitionis nomine abſtinentiam, & continentiam vocabant, quæ conjugio ſacramenti dignitatem eripiens, illud pręcepto ſubjiciebat! Quid mirum, inquam, quod hujuſmodi novitas facile Sectatores inveniret? Invenit illas non in aulis tantum, & in urbibus, omnibuſque fere domibus; ſed in ipſo etiam Sanctuario ad altarium gradus; quia ubique nacta eſt impuritatem. Maluit Æternus nos filios ſuos abdicare, quam pro filiis habere impudicos. Hac de cauſa paſſus eſt, Arcam fæderis in idololatrarum manus incidere. Similiter patrum noſtrorum tempore maluit videre Aras dirutas, quam filium ſuum hypocritarum pedibus calcatum, & miniſtrorum ſuorum impuritate pollutum. *P. de la Rue in Quadrageſima*.

Funeſti effectus adulterii a Rege David commiſſi.

Cum David re adhuc integra cæco Berſabeæ igne carpi ſentiebat, ſi Natan Propheta, qui Regi non obtulit ſe, niſi poſtquam libidinis furor eruperat, illum in primo amoris æſtu adiiſſet, eique aperuiſſet funeſtos illius exitus, gradus, & pœnas, eique dixiſſet, quæ poſtmodum: *Non recedet gladius de domo tua*: Propter hoc, propter infamiam, & ſanguinem quem effuſurus es in domo innocentis, gladius, & dedecus non recedet de domo tua: ſuſcitabo tibi malum domi tuæ: tu me clanculum offendes, ego vero ultionem repoſcam in faciem terræ totius, & vidente ſole: *tu feciſti abſcondite; ego autem faciam in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpe-*

2. Reg. 2.

Ibidem.

ctu

BIBLIOTECA CENTRAL

ſtu ſolis: Si propheta ſimul aperuiſſet illi januas futuri, oſtendiſſetque nexum malorum familiæ ejus, enormitates, quæ ibi erant patrandæ, proprios illius filios ſeſe inceſtu, ac cæde polluere; Abſalon filium ſuum ſeditiones contra ipſum cientem, maledicta, quæ ſervorum ſuorum abjectiſſimi erant in illum jaculaturi; illum ipſum fugientem, deſerentem ſolium, bona, omneſque theſauros ſuos in prædam ipſius inimici; hoc audiens, funeſta hæc excipiens vaticinia, quid cogitaſſet David, quid dixiſſet, quid feciſſet? Sentiebat in corde ſuo aliquam aboriri amoris flammam erga Berſabeam; ſed in eodem corde ſentiebat ardentem zelum pro lege Dei; religionem ſemper vivam, ſemperque ſinceram, firmum, & conſtans conſilium fidelitatem ſervandi. David nonne ſponſionem feciſſet bonæ fidei ſuæ, & rectitudinis cordis ſui; nonne crediđiſſet ſibi ſatis eſſe virium ne in hanc imbecillitatem laberetur, & in hos furores erumperet? & videns filios ſuos conſentientes, ſubditos ſubjectos, & voti compotes, regnumque ſuum tot triumphis confirmatum, nonne Prophetam, ejuſque viſiones aſpernatus fuiſſet? Tamen hæc omnia vera fuerunt; omneſque illi triſtes eventus deinceps viſi ſunt. David licet fidelis tandem vidit ſe ſcandaloſum, & homicidam, & calamitoſum, & contemptum, & de ſolio deturbatum. Hæc autem omnia, quia inter tot virtutes eximias inventa eſt in illius corde impuritatis favilla. Si vir, qui adeo bene conſtitutus videbatur in omnibus virtutibus, adeo acceptus Deo ante lapſum ſuum, tamen in tantam decidit abyſſum; quomodo de viribus noſtris erit diffidendum? *P. la Rue in Quadrageſima.*

Funeſti effectus impudicitiæ.

Impudicitia ut plurimum non ſolum eſt manifeſtiſſimum reprobationis ſignum; ſed ut ita dicam, principium quoque illius eſt. Quas tenebras, quam cæcitatem non parit illa in anima? Quam ſtupiditatem in iis, quę ad Religionem pertinent? Quam indurationem! Libido ad brutorum ſtatum redigit animam; honeſtiſſimum hominem nulla res magis, quam hoc peccatum, contemptibilem reddit. Diceres, hoc extingui ſpiritum, rationem obæſam fieri, optimum quodlibet ingenium corrumpi, mutari cor, & hominis metamorphoſim fieri. Et profecto ſpiritus nitidior, cor rectius, locupletius ingenium, anima rationabilior, atque cultior, hæc omnia breviſſime corrumpuntur per impuritatem; oris habitus, ſenſus, officioſi mores mutantur; obtunditur mens; bona fides deficit, virtutes omnes evaneſcunt, &c. *P. Croiſet in Anno Chriſtiano.*

Immodeſti oculorum conjectus ſunt cauſa plurimorum peccatorum impudicitiæ.

Filii Dei, hoc eſt, mortalium ſanctiſſimi, qui in prima mundi ætate vivebant, cum oculos intendiſſent in conſideranda mulierum forma, corruperunt univerſum humanum genus, & detraxerunt in terras univerſale diluvium, quo fuere ſubmerſi: *Videntes Filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ.* Nonne imprudens oculorum circumactus miſerorum ſenum pervertit animum, qui pudiciſſimę Suſannæ ſtuprum inferre conati ſunt? Non cani eorum, neque Judicum dignitas inſanienti libidini reſtiterunt. Videre mulierem hanc, & impuro igne conflagrare unum & idem fuit: *Viderunt, & exarſerunt.*

Daniel. 13.

Non opus fuit validis exercitibus, nec ſuperborum Tyrannorum, & enormium gigantum, ut Scriptura inquit, conſenſu ad evertendam ſtrenui Holophernis virtutem. Adſpexit formoſam Judith, & qui tot populos ſuo ſubjugabat imperio, *ſtatim captus eſt in oculis* Judith; *pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus.* Domina capta Joſeph, eo quod hunc attentius inſpexit; in captivam mutata eſt; *Injecit oculos in Joſeph, & ait illi: dormi mecum.* Dina, quia ſpectare voluit, & ſpectari, gloriam amiſit, integrumque populum in terribilem adduxit perniciem: *Egreſſa Dina, ut videret: quam cum vidiſſet Sichem rapuit, & dormivit cum ea. Omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis,* inquit Regum ſapientiſſimus, videlicet in juventute ſua; verum etiam in quam inſaniæ abyſſum pertraxit illum hæc mulierum ſpecies nimis inſpecta in ſenectute ſua? *Cum eſſet ſenex, cor ejus depravatum eſt per mulieres.* Imbecilles ergo ſuos cohibeant obtutus; quandoquidem hi in cauſa fuerunt, ut fortiſſimi laberentur: *Parvi nolint videre, unde poſſint cadere,* S. Auguſtinus inquit. Beati qui ſibi ſapientem hunc proponunt Canonem; ne videant id, quod non licet concupiſcere. *De la Chetardie in quadam Homilia.*

Judith 10.

Geneſ. 35.

Ibidem. 34.

3. Reg. 11.

Auguſt.

Impudicitia ſe quodam velamine tegit, ut imitetur religionis myſteria & minorem horrorem ciat.

Quemadmodum hoc peccatum horrorem ſuum geſtat in fronte, & vix fieri poteſt, ut de eo ſermo habeatur, quin aures caſtæ lædantur; diceres illum uti velle privilegiis hujus ſilentii, & ipſum quoque nomen illius efficere, ut nemo de eodem mentionem facere audeat. Sunt in Religione noſtra myſteria, quæ penetrare non licet, adeo auguſta ſunt; ita non deſunt in moribus quædam iniquitatis myſteria, quæ nefas eſt evolvere, adeo inviſa ſunt. Cur ego iſta flagitia prætereunda ſunt? Numquid dicetur, effrænata hęc vivendi licentia, quę in omnes vitę conditiones ſeſe effundit, inhiberi non poſſe; & ſcelus pudoris inimicum pro clypeo pudore eodem abuſurum, ad rejicienda tela, quibus ſcriptura, & Patres illum confoderunt? Non ita: conemur illud cum omnibus coloribus ſuis ad vivum repræſentare, & oſtendamus illud in omni extenſione ſua, vel potius in omnibus temporum, quibus committitur, differentiis ab ipſo principio, ad finem uſque. *Sermo manuſcriptus.*

Nullum peccatum eſt ad quod viæ plures adducant, quam impudicitia.

Si in impudicitię vitio hoc eſt cum omnibus aliis commune, quod in ſe habet injuſtitiam, quę conſtituit peccatum; hoc habet peculiare, quod non aliud peccatum eſt, ad quod plures adducant viæ, & cujus acceſſus ſint periculoſiores? Quidquid intra nos eſt, quidquid circum, quidquid procul a nobis eſt, nonne totidem viæ ſunt, quæ nos ad impudicitiam deducunt? Nonne totidem laquei ſunt parati, ut in illud rapiamur? qui quidem nobis ſumma cura evitandi ſunt. Intra nos, concupiſcentia nonne ipſa eſt ſtimulus carnis, qui ne ſanctiſſimo cuiquam parcit? Quiſne ab illa immunis eſt a minimo ad maximum? Divites, pauperes, omnes eodem luto compacti cum ſint, S. Auguſtinus inquit; omnibus eadem exhalatio ſentienda eſt, & eadem cupiditas æque ſub ſcrutis, ac ſub purpura adurit. Alia ex parte, ſenſus noſtri totidem ſunt feneſtræ, per quas nihil facilius ingreditur, quam libido. Unicus oculorum conjectus illam per oculos in cor poteſt introducere; verbum unicum per aures; ſimplex neceſſitudo per manus. Adde his omnibus intemperantiam, ebrietatem & otium ipſum, quæ non videntur ulli umquam ſeſe immiſcere negotio, & mundo jam eſſe mortua: nonne tot ſunt origines, vię, calles, qua impudicitia tandem liberum nanciſcitur aditum in omnium hominum corda? *Idem.*

Hoc vitium plurimorum malorum eſt cauſa.

Impuritas eſt vitiorum omnium fœdiſſimum, turpiſſimumque; quia brutaliſſimum eſt. Impuritas ex omnibus vitiis illud eſt, quod majorem adfert anxietatem, & ægritudinem; & quod maxima parit mala. Hoc illud ex omnibus vitiis eſt, quod maximo ſtat pretio. Semper irritat concupiſcentiam per difficultates, quas illi opponit. Quænam ſpecies cæcitatis? Numquid alterum hoc deplorabilius poteſt inveniri? Tamen ſecundum Patris cujuſdam teſtimonium nullum peccatum æque voluntarium eſt ac illud impudicitiæ. Vis neminem poteſt invitum cogere, ut illud committat; a ſeipſo tantum vim mutuatur. *Nulla ad libidinem vis eſt; niſi ipſa.* Hæc ipſa amatur impudicitia; hæc quæritur. Nullus prętextus, nulla externa ratio in vias impuritatis ingreditur; nullum adeſt lumen, niſi ad inveniendas illecebras in peccato adeo turpi, & deteſtabili. *P. la Peſſe.*

Tertull. l. de Pudic.

Impudicitia fons eſt omnis impudentiæ.

Impudicitia extinguit pudorem in corde: hic eſt caracter, quem illa imprimit in fronte impudici. *Frons mulieri meretricis facta eſt tibi,* inquit Propheta; *noluiſti erubeſcere.* Inhoneſtus oris habitus, laſcivique mores renident in facie hominis, & mulieris libidinoſæ per ipſam modeſtiæ, & adfectatæ probitatis perſonam. Pudor nos in officio continet erga noſmetipſos, erga proximum noſtrum, & erga Deum. Quantumvis parum boni ſenſus adeſt, noſmetipſos reformidamus: ſentimus in anima noſtra frænum, quod pravam concupiſcentiam moderatur; & plerumque nobiſmet clanculum permittere incipimus licentiam, quam ſumimus, vel quam toleramus coram mundo. *P. la Peſſe.*

Iſaiæ 3.

In corde impudici difficiles habet acceſſus gratia Dei.

Quis retinere poſſet hæc inhoneſti amoris mancipia in lubrico abyſſi ore? Conſcientiæne probra, proximi ſcandalum, terror Judiciorum Dei, pudor amiſſus? Rerum omnium ſenſus amittitur; & gratia ferme non invenit aditum in cor pollutum, atque corruptum. Miſeræ voluptatis victimæ, quę veſtram infelicitatem non præcaviſtis! Heu? puella, quæ in mundi lucem prodit illicitur laudibus, quibus palpatur, blanditiis, quibus fallitur, officiis, quæ illi præſtantur, tenera licentia, quæ ab illa petitur, & quam non invita largitur: tunc voluptas illi catenam injicit, & mancipat Satanæ: *Dulcius putat omne, quod neſcit.* Illa putat majores ſe inventuram delicias in malo, quod ignorat. Illecta, præ-

D. Hieron. Epiſt. 47.

præludiis amoris, amat; ecce illam jam ſuæ mancipatam cupiditati in nullam reditus ſpem; & pertinacia ſubit in locum extinctæ pudicitiæ. *Idem.*

Quot mala ex impuro amore oboriuntur.

Voluptatem quæritis, animæ impuræ, & non intelligitis ſexcentas pœnas, quibus ſtat vobis illam reperire. Tandem enim ſi quæ vobis ſupereſt rationis particula, aliquod honoris principium, aliquod veritatis radium, aliqua Chriſtianiſmi ſpecies: conſcientia veſtra non ſemper ſopita eſt, & quodammodo per voluptatem jugulata, & multa prætereunt momenta, quibus a voluptate ſemoti, vel ejuſdem pertæſi ſentitis pondus catenarum veſtrarum, quomodo fieri poteſt ut coacta meditatio non aperiat in ęternum oculos veſtros? Per quot tumultus, ſollicitudines, ærumnas ad ſcelus hoc patrandum perveniſtis? Commercium hoc nectendum fuit, quin vobis obeſſet patris, vel matris, viri, vel accolę vigilantia: præveniendi fuerunt ſexcenti caſus, ne deprehenderemini; captivandi multorum animi, pleræque animæ viles, abjectæ, lucri cupidæ, ut inde auxilium obtineretis; inveſtigandi motus omnes animi ſuſpicioſi, ſuperbi, inconſtantis, furentis, ad mulcendum cor diſſimulatum, mobile, inexplebile. Quoties frigus ſubvertit ſpem, quam facilitas pepererat? Quoties omnis laborum merces extitit laus, vel contumelia? Quoties oculorum conjectus oblivioni traditus cauſa fuit, ut diuturnæ ac moleſtæ aſſiduitates oblivioni traderentur? At votorum ſummam aſſecutus es; crimen patratum eſt, libidini ſatisfactum eſt; non defuere nocentes, qui ſeſe præcipites dare voluerunt, aquis ſubmergere, virus haurire, pugione pectus ſuum tranſverbare. Sed quis ſpondere vellet, eam, quæ ſeſe alicui tradere potuit, uni tantum ſe mancipet? Tunc affectus animam aperit zelotypiæ, odio, timori, vindictę. Interea magni ſumptus erogandi ſunt; bona obliguriuntur; coactæ mutuationes tribuunt in anteceſſum accedentis luminis ſenſum: deficit fides: paupertas ingruit, & expectandum eſt, ut ipſa etiam merita deficiant. Nulla hinc requies; omnia inde in abyſſum ruunt; & impudicitia adhuc virum, ac mulierem adurit. *Idem.*

Impuritas ſeſe nobis offert ſua tanta figurarum varietate, ut vix poſſit dignoſci.

Operoſum eſſet hoc in loco omnes referre formas, ſub quibus ſe abſcondit impudicitia, ne turpis videatur. Varios hos mores, qui virum, & mulierem nobis exhibent ſub tanta hac figurarum varietate. Numquid ſemper ab ipſa cultus decentia, ac elegantia inveniuntur? In omnibus fere recentes uſus occurrunt. Sed illos expendite, & liquebit, pleroſque eo tendere, ut puritatis odium inſpirent, vel ſaltem ut ſenſim, & ſine ſenſu vos in otium illi oppoſitum impellant. Tabulæ veſtræ, aulæa, penetralium veſtrorum ornamenta, quid vobis exhibent, niſi hiſtorias, & actus ad amores inſanos pertinentia? imagines ad oculos, mentemque polluendam aptiſſimas? Vos autem per hoc fortaſſe nihil abnorme feciſſe putabitis tribuentes æternum ſcandalum famulis, filiis, alienis, & univerſę poſteritati. Cantiones, quę paſſim ſapiunt, nemini gratæ eſſent, niſi complecterentur eos ſenſus, qui poſſunt excitare, docere, & palpare amandi cupiditatem. Libri, qui præ cęteris veneunt, & Soſiis merent æra, & trans maria currunt, nil docent, niſi induſtriam, vel effectus amoris inordinati. Ita omnia & intra nos, & extra deducunt nos ad jacturam innocentiæ, quæ nihilominus ſumma cura nobis ſervanda eſt. *Idem.*

Quam damnabiles ſunt juvenes, qui imprudenter ſe periculo objiciunt in hoc vitium ruendi.

Satis acribus loquendi modis exhiberi nequit imprudentia mortalium omnium ætatum, & conditionum, qui quotidie mille modis ſe objiciunt periculo faciendi jacturam pudoris, & innocentiæ, quę illi propria vita eſſe debent antiquiora. Quid de te erit, juvenis, qui nil quidem mali agis, ſed qui in molli vivens otio aliis affectus acres, & violentos, qui quam primum cordi tuo dominabuntur, niſi illos ſtudioſius cohibere laboras? Quid dici poteſt de te, qui vivis, quaſi omnia tecum eſſent moritura? Quid de te aliquando futurum eſſe putas? Certe in æternum eris, quod es hodie niſi animæ tuæ major cura tibi futura eſt. Quid? admirabiles illi homines, qui procul a mundo, diuturnę pœnitentiæ auſteritatibus ad maciem redacti adhuc formidabant rebellionem carnis, quam eo redegerant, ut vix ſuſtinere ſe poſſet; Quid? Sancti Eremitæ, qui animatis magis erant ſimiles, quam hominibus viventibus, adhuc verebantur, ne ab impudicitiæ dæmone deciperentur; & vos ita audaces eſtis, ut credatis vos inter voluptates, comeſſationes, mundanaſque ſocietates immunes futuros? Hoc eſt non ſolum ſenſu carere, verum hæc certo certius eſt immedicabilis inſania. *Auctor recens.*

Exhortatio ad innocentiam tuendam.

Quicumque eſtis, Fideles, quibus hactenus contigit innocentiam veſtram ſartam tectam tueri adverſus hujus voluptatis illecebras, quæ excęcat, & indurat: millies in ſingulos dies Deum benedicite, & ob adeo ſingulare patrocinium gratias agite. Sed majori, quam ante, vigilantia vigilate, ut theſaurum adeo pretioſum, & expoſitum conſervetis. Cuſtodite puritatem tamquam pignus fortaſſe tutiſſimum veſtrę ſalutis. Incedetis fidenter in viis Domini, ſi illam tutabimini a mundi laqueis, & proximi veſtri inſidiis. Animæ puræ, quas adeo generalis ſæculi tabes non tetigit, quęnam veſtra gloria eſt, poſſe offerre Deo victimam oculis ſuis dignam! Non eſt cur doleatis propter vim, quæ vobiſmetipſis fuit inferenda propter contemptum, qui vobis a mundo fuit tolerandus propter abſentiam ab illius oculis, atque deliciis. Cœleſtes Angeli cum honore vos ſuſcipiunt; oblectatur Deus gratiam ſuam in animas veſtras infundere: omnes boni vos plurimi faciunt, & colunt; & conſcientiæ veſtræ teſtimonium non ceſſabit reparare omnes veſtros labores. *Pater la Peſſe.*

Mundi ſpiritus in jocum traducit eos, qui vetant ne adoleſcentes cœtibus nimium liberis interſint.

Quid aptius eſt ad pertrahendos adoleſcentes in turpe hoc vitium, quam nimia frequentia eorum cœtuum, locorum, quo ſimul conveniunt? Juvenes plurimi in omnem licentiam effrænes, & qui impudicitiam, atque libidinem dumtaxat perflare videntur? Quod Ethnicus philoſophus non ferret, mirum eſt a Chriſtianis genitoribus haberi tamquam nugas, & rem nullo in diſcrimine habendam; & ab illis honeſtam duci libertatem, effuſam hanc licentiam, quam utriuſque ſexus perſonæ ſibi vindicant frequentes ſeſe videndi, & invicem colloquendi! Si Pater, vel mater voluerint filiis ſuis modeſtiam, & honeſtatem inſpirare ſibilis excipiuntur in conventibus, & in theatris in ludibrium vertuntur. Si divini verbi miniſter contra hæc flagitia declamat, ſi cum zelo invehitur in hanc licentiam, traducitur tamquam bonus vir, ex orbe alio huc appulſus, quem ſua efferat umbra. Futilis excuſatio eſt, urbanitatem, & officioſitatem exigere ut cum amicis, affinibuſque verſemur, & conſueſcamus: in frequentatione cœtuum, & ſocietatum nullam haberi pravam intentionem; omnia ibi intra honoris fines agi; nam in hac re quotidie tot accidunt naufragia, ut nemo cordatus dubitet, quominus hoc ſit nimis ſeſe periculo objicere, nimis frequentare; & quod in ipſis primordiis honeſtum videtur, deinde in publicum flagitium, apertamque libidinem migrare. *Auctor recens.*

Impudicitia vitium eſt, quod validius hominem vincit, & majorem reproborum numerum explet.

Impurus homo non erit particeps cęleſtis hæreditatis Omnipotentis. Separatus a Deo in hoc mundo, in altero etiam ſeparatus manebit, impudicitia enim taliter captivat illos, qui ſeſe illi mancipant; ut raro ſuas catenas infringunt, & omnes fere in impœnitentia decedant. Hæc ex omnibus animi cupiditatibus facilius in habitum migrat, & adducit in quamdam noſmet ſalvandi impotentiam; & profecto eadem facilitate, qua oculorum jactus in primum ſcelus adducit, ſcelus adducit in habitum; habitus quamdam habet ſpeciem neceſſitatis; neceſſitas ad deſperationem impellit, & deſperatio agit in reprobationem. Hinc fit, ut vitium hoc turpe plures animas in infernum detrudat, quam aliud quodvis. Merito igitur S. Job ait; *pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Noverat quanti referret, ſuis oculis invigilare, unus enim eorum obtutus ipſum perdere poterat. Vir tantę virtutis ſine hac extrema vigilantia ſatis ſe tutum non arbitrabatur, judicemus quænam eſſe debeat vigilantia noſtra, cum ipſi ſimus eadem infirmitas. Oculi mei ſunt domeſtici inimici, ſemper periculoſi, ſemper ad me prodendum, & me ſuæ voluptati ſacrificandum parati. Semper intentus ero motibus eorum, ut ſervent pactum, quod cum illis percuſſero, & ut eos in obtutibus ſuis modeſtos eſſe cogam. Quam modicum tempus ſatis eſt objecto periculoſo, ut cordi lethale vulnus infligat! Quam brevis intercedit in hoc genere via cogitationem inter, & oblectationem! Ergo videndum omnino non eſt hoc fallens objectum, ne de illo cogitemus. Hoc fundamentum eſt pacti, quod hodierna die facturus ſum cum oculis meis, & quod faciam, ut inviolabiliter ſervent. Cęterum pactum hoc meum non arctabo ad avertendos oculos meos ab eo, quod per ſe me ad peccandum impelleret: ſed cognoſcens, uti plane cognoſco fragilitatem carnis hujus mortalis, qua circumdatus ſum, remotiſſimas etiam lapſus occaſiones evitabo, interdicam ocu-

Job 31.

oculis meis objecta ipſa, quæ in ſpeciem omni culpa vacant. *Pater Segneri.*

Infelix impudici ſtatus.

Quam triſtis eſt ſtatus hominis impudici! Spiritus, corpus, omnia peccato mancipata ſunt. Timet hic peccator ne ex hac emergat calamitate; claudit gratiæ omnes aditus cordis ſui: nullus amplius in illud tibi patet acceſſus, Domine; nullam fere vides amplius viam ad ejus ſalutem. Trahet igitur impudicus, trahet uſque in mortem turpes catenas deferens viſibilem damnationis characterem in hoc genere neceſſitatis, quam ſibi injecit permanendi in peccato: & fortaſſe tantum hoc malum debet quibuſdam obtutibus imprudentibus, quæ inflammarunt eam animi cupiditatem, cujus mancipium eſt, & futurus eſt victima. *P. Segneri in Meditationibus.*

Objectum omni culpa vacuum eſſe poteſt lapſus occaſio. *Job 31.*

Ne putemus inanem fuiſſe ſcrupulum præcautionem Sancti viri dicentis: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Objectum licet per ſe innocens poteſt tamen fieri lapſus occaſio. Hic agitur, ut quiſquis ſalvet animam ſuam, ideoque ut abſcindat quidquid præbere poteſt labendi occaſionem. Hoc præcipuum illud punctum eſt, in quo poſitum eſſe debet pactum, quod nobis percutiendum eſt cum oculis noſtris; ad id redigendi ſunt, ut numquam ſeſe figant in objectum, quod nobis eſſe poteſt periculoſum, quodcumque illud aliunde ſit. Sine hac generali excluſione pactum quodvis cum illis tutum non eſt: Sunt veluti occulti inimici, qui ſerius, ocyus noſtra abutentes imprudentia nos in ſummam adducent perniciem. *P. Segneri.*

Impudicitia totum hominem mancipat peccato.

Timor, quo Job verebatur, ut a Deo ſecederet ſi quid licentiæ oculis ſuis permiſiſſet, oſtendit, cui noſmet objiciamus periculo niſi ſuper illos invigilaverimus eadem diligentia, qua ille utebatur. Alioquin dicebat ille; *Quam partem haberet in me Deus deſuper?* Talis enim eſt periculi propinquitas. Cogitatio immediate ſequitur oculorum jactum, cogitationem oblectatio, conſenſus oblectationem. Hęc vulgata via eſt, qua periculoſum graditur objectum, cum per oculos ingreditur. Quam igitur partem haberet Deus cum homine, cujus anima, & corpus nequiſſimo vitiorum omnium polluta eſſent? Hujus Spiritus, cor, ſenſus peccato mancipati ſunt: quid igitur in illo reliquum eſt, cujus Deus, qui totum poſſidere deberet, adhuc ſit Dominus? *Quam partem haberet Deus?* Funeſtiſſimus impuritatis effectus eſt totum hominem occupare. Tunc non ſatis eſt illi, ſe non amplius ad Deum pertinere; timet, ut ad eum redeat; timet, ut gratia illuminet mentem ſuam, & moveat cor: timet effectum divinæ gratiæ ſanctarumque lectionum; verbo tamquam phræneticus timet remedia omnia, quæ ſibi ſalutem poſſunt afferre. Verebar Domine, S. Auguſtinus ait, ne ſanares in me hanc concupiſcentiam; quam explere malebam, quam ſanari. Ita anima impura obſtruit omnem aditum gratiæ, quæ illam iterum conjungeret cum Deo; quapropter Sanctus Job dicebat: *Quam partem haberet in me Deus deſuper? P. Segneri.*

Ad evitandas impuras cogitationes oculi ſunt cuſtodiendi.

Cæterum Job non loquitur de primis adſpectibus, qui fortuito incidunt, & quorum nobis non ineſt arbitrium; non poterat ille, non ſecus ac ipſi non poſſumus de his pactum inire cum oculis. Agitur de illis adſpectibus, qui habentur, ſcientibus, atque volentibus, & quos nobis integrum eſt prohibere. His nobiſmetipſis debemus interdicere; ſæpe enim animæ noſtrę ſalutem periculo ſubjiciunt. Cum igitur ſors nobis exhibet objecta hæc periculoſa, non poteſtis tam cito, quam opus eſt, oculos veſtros avertere, ne illis tempus permittatis impreſſionem efficiendi in cor noſtrum. *P. Segneri in Meditationibus.*

Spiritus hominis voluptatibus deditus fit prorſus carnalis.

Varias requirendo voluptates impetus carnis ſibi ſubjicit rationem, & inde accidit, ut Spiritus factus carnalis deinceps ſenſuum cognitioni dumtaxat adhæreat, & ea tantum curet, quæ ipſum movet, & palpat. Loquere cum hoc de Deo, & rebus ſpiritualibus; ipſe ridet, id ſub illius ſenſibus non cadit. Spiritus hic immerſus eſt in corruptione carnis; non oblectatur, nec paſcitur niſi carnalibus voluptatibus; & ecce hic ſpiritus notatus charactere, & imagine divinitatis ad brutorum conditionem redactum, factumque ſpectaculum infame poteſtatis, & imperii, quod caro, & ſenſuum voluptates in rationem acquirunt: *Animales ſpiritum non habentes,* inquit Apoſtolus, & ſicuti ſcriptum eſt in Geneſi, *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Hinc accidit, ut quemadmodum diluvii tempore quod mundi ſordes eluit, dictum fuit Deum pœnituiſſe, eo quod effinxerat adeo pulchram creaturam, qualis eſt homo, quam videbat adeo corruptam, & coinquinatam:

Epiſt. Jud.

Tactus dolore cordis intrinſecus: & conſilium iniiſſe illius perdendę: *Delebo hominem de terra*; ſtatim nos ſinimus ſpiritum noſtrum adeo fieri carnalem, nihil eſt, quod magis contriſtet Spiritum Sanctum, qui videns nos in hoc ſtatu, cum antea ſalvos nos facere decreviſſet, conſilium capit perdendi nos, quia videt omnes affectiones, omneſque cogitationes noſtras non aliud eſſe, quam carnem. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Geneſ. 6.

Rationes quibus probatur impuritatem damnare plures, quam alia vitia.

Nullum peccatum eſt diligentius vitandum impudicitia; nullum eſt enim quod plures damnet. Hoc his argumentis probatur. 1. Nullum facilius committitur; ſufficit aſſenſus pravæ cogitationi datus, malum deſiderium, ut ſit mortale peccatum: adeo facile eſt in hac materia peccare. 2. Nullum eſt, quod corrigatur difficilius: experientia quippe conſtat nullos difficilius ex peccatoribus converti, quam eos qui obſcœnæ huic noxę ſubjecti ſunt. Qui ſemel ſeſe huic abdidit, non ſequitur amplius lumina rationis, vel gratię; ſuæ tantum auſcultat cupiditati, & mox labitur in cæcitatem, atque obdurationem; ita ut omnes veritates maxime terribiles Religionis noſtræ nullam amplius vim habeant in ſpiritu peccatoris. Ad hęc etiam extrema pervenitur de eadem dubitandi, ut omnes conſcientiæ ſtimuli retundantur. Conatur ſibi perſuadere, ea quæ de pœnarum Inferni æternitate dicuntur, hyperbolice dicta eſſe ad homines perterrendos. Quod ſi non ſtatim ad hunc uſque exceſſum proceditur, & aliquid adhuc boni ſenſus reſtat, qui efficiat, ut animæ noſtræ ſtatum deploremus: lumen hoc perfunctorium eſt, quod nullum producit effectum, niſi efficiendi ut hanc tanti momenti veritatem intelligamus: facilius eſſe cupiditatum illecebris reſiſtere antequam fallacibus earum lenociniis capiamus, quam cum jam illas experti fuerimus; & difficultatem quæ reperitur in voluptatis illiciis propulſandis, ubi ſemel iiſdem fuimus decepti, multo majorem eſſe, quam antequam illa experiremur: *Minoris laboris eſt incognitam carnis voluptatem cavere, quam rejicere jam cognitam.* 3. Hoc peccatum cauſa eſt plurimarum Confeſſionum, & Communionum ſacrilegarum. 4. Nullum peccatum eſt, quod Deus magis perhorreſcat; nullum quippe fuit, quod ſeverius punierit. Ad peccatum hoc puniendum aquæ diluvii terram omnem inundarunt; & ignis de cœlo demiſſus in quinque Civitates, eas cum omnibus civibus redegit in cineres. 5. Id quoque horrorem ciere debet, quod voluptas inde percepta licet brevi exciderit momento, ſuppliciorum tamen æternitate erit punienda. *Chriſtianæ conſiderationes.*

Jure dici poteſt in impudicitia omnia ſcelera contineri.

Quibuſnam ſceleribus exors eſt, qui ſemel laxavit habenas cupiditatibus ſuis, cum impudicitiæ ſe abdidit? Ut ſibi ſatisfaceret, nonne periculo objecit faciendi jacturam non honoris tantum, ac opum ſuarum, verum etiam valetudinis, & vitæ? Quot infidelitates, quot proditiones, quot cędes, quot ſacrilegia funeſta hæc cupiditas quotidie parit? & poteſt aliquis pati ſe trahi deſideriis cordis ſui, ac tranſilire cancellos pudoris, & honeſtatis; quin ſimul nuntium mittat probitati, juſtitiæ, innocentię, quin contemnat legem Dei, ipſamque naturæ vocem, quæ licet corrupta, nequiſſimos homines impellit ad perquirendas tenebras inter inſanos furores ſuos, & ad occultanda toti mundo, ac ſibimetipſis, ſi fieri poſſet, inordinatarum ſuarum affectionum flagitia? Profecto non immerito, uſus nonnumquam generale impuritatis nomen omnibus tribuit cupiditatibus, atque criminibus, quia infamis iſta cupiditas cęteras poſt ſe trahit, & hoc pacto animam totam corrumpit. Atque ut vera dicam, nomen impuritatis aliquid majus ſignificat, quam impudicitiæ; quia Dæmones, qui hujus obſcœnitatis rei eſſe non poſſunt, quippe qui corpore carent, adhuc tamen paſſim in Scripturis impuri ſpiritus appellantur. *Sermo quartus Academiæ anni 1677.*

In impudicitiæ materia periculoſum eſt admodum videre, & videri. *De cultu animarum.*

Cura, qua mundanę mulieres formæ ſpeciem ſpecioſis, & conquiſitis ornatibus commendare conantur, Tertullianus ait, naturale eſt turpis voluptatis illicium; illicium inquam, & bonis, & malis æque periculoſum. Bonis quidem quia ibi inveniunt objectum, quod fugiunt; malis vero, quia non fugiunt objectum, quod inveniunt: bonis propter difficultatem vincendi; malis vero propter voluptatem, qua victi fruuntur. Non audeo in mentem veſtram revocare vim, quam habet aliquando adſpectus viri etiam aureis, & acu pictis induti veſtibus in ſpiritu imbecillo, ac levi. Vereor, ut hic revocem imaginem motuum, quibus afficitur cor æquo licentius ad aſpectum quarumdam fœminarum, quæ per ſcandala veſtium ſuarum placere quærunt; fatales cauſæ licentiarum, libidinum, ſcelerumque. Uſque-

Uſquequo procedet malum, ſi animatum fuerit mollibus, & voluptuoſis moribus, qui ſinunt, immo etiam poſtulant, ut inflammetur cupiditas per eos obtutus, qui videntur de honeſto, ac reverentiali ſilentio conqueri, vel libenter laudibus parum decentibus reſpondere? (etenim, laudatus Pater ait, oculi, qui videntur, & qui vident, eodem præter propter modo facti ſunt, & ſeſe invicem cupiunt. *Tales enim oculi volent virginem viſam, quales habet virgo, quæ videri volet.*) Per faciem illi tam fuco, & longe nocentiorem, quam jucundam, quæ ſub ficta ſpecie, fictam celat caſtitatem; per nuditates, quæ ſimul ſecum detegunt inſidias, quæ alieno pudori nectuntur? Et ſane ſi luxus indecoris hiſce agendi rationibus alitur, quorum flagitiorum, infamiumque ſcelerum auctor non erit? *Pater la Peſſe Tomo 2.*

Impudicitia in Scripturis meretrici impudenti comparatur.

Spiritus Sanctus nobis exhibet impuritatem ſub imagine meretricis impudentis; quæ figura ad unguem miſeræ huic quadrat cupiditati. Et ſane, ſi propius vitii hujus mores conſideremus, nulla eſt ars, quam non uſurpet, ut ſeſe inſinuet in corda. Ne re adhuc integra ſtatim avertat timidos, primum honeſtas eſſe videtur, officioſitas, urbanitas, quæ ſubdole viam ſibi facit in cor, cui non amplius integrum eſt vel evadere ex inſidiis, quæ illi paratæ fuerunt, vel non incidere in illas. Mihi videor, non melius poſſe cupiditatem hanc vobis deſcribere, quam ſub imagine naſſæ piſcatorię. Introitus quidem latus, & facilis eſt; piſcis facile ingreditur, ibique liber æque ſibi videtur, ac ſi in aquis plenis innataret: ſed quo magis rete piſcibus repletur, eo magis fluens nodus introitus clauditur, ita ut multitudo ſe captivam videat, quin inde egredi valeat. Hoc ipſum accidit impudicitiæ. Vitium hoc ſub blanda ſpecie apparet; ſexcentę nos illuc pertrahunt illecebræ; cor noſtrum ſuapte natura in illud fertur: objecta omnia ſimul conjuraſſe videntur, ut nos illuc trahant; ſed ubi ſemel in hunc labyrinthum incidimus, vix fieri poteſt, ut inde egrediamur. Hoc mirum in modum S. Auguſtinus refert, oſtendens gradus per quos in hanc voraginem labimur. Gradus hi facillimi ſunt, laudatus Pater ait; de cogitatione deſcenſus fit in deſiderium, de deſiderio in actum, ab actu in habitum, ab habitu ad neceſſitatem, a neceſſitate ad mortem. Ita mortalis invenit ſe tamquam ſenſim raptum ab hoc torrente furenti, quin poſſit unquam innatare; & honeſtate, pudoriſque velamine fracto, non niſi impuræ cogitationes foventur, & frequentia deſideria brutalem hanc cupiditatem explendi. *Auctor recens.*

INDOLES,

NATURA, TEMPERAMENTUM.

Indoles felix quoad ſalutem pertinet. Ingenium facile, & difficile. Bona, ac prava natura. Illa quidem excolenda, hæc autem corrigenda.

MONITUM.

Vix fortaſſe aliquis arbitrabitur de Indole, atque Natura Concionem ad animæ ſalutem proficuam haberi poſſe, quin hoc argumentum cum variis permiſceatur affectibus, quorum natura fons eſt, atque principium. Aliqui etiam exiſtimabunt, ſaltem particularem cujuslibet indolem, ingeniumque eſſe affectum eidem prædominantem: ſed quemcumque nexum hæc inter ſe videantur habere argumenta, ex iis, quæ deinceps a nobis dicenda ſunt, facile innoteſcet, hæc unum, & idem non eſſe; & ſic in natura Philoſophi aliquod inter hæc diſcrimen cognovere; in morum diſciplina Concionatores ſatis copiæ reperient, unde plures concinnare valeant ſermones. Hic autem admonere ſufficiat, ingenium illud, quod a natura ſortiti ſumus, & cujus vi ad bonum, vel malum impellimur, & quod ideo bonam, pravamque naturam dicimus, ſemper vel excolendum eſſe, vel corrigendum, alterum quidem, ut Chriſtianarum virtutum fiat inſtrumentum, alterum vero ut prohibeatur, ne nos in vitium trahat, & damnationis noſtræ ſit cauſa.

Cæterum, quamquam hoc argumentum primo ſtatim intuitu parum ad morum diſciplinam conferre poſſe videatur, ſpero in aliam prorſus abiturum ſententiam, qui animo reputarit uberem illum fructum, qui inde percipi poteſt, qui profecto tantus eſt, ut ille, cui e voto contigit, ut pravam indolem corrigat, bonam vero, quod locupletiſſimum eſt Dei munus, excolat, nullum non evitare vitium, nullamque non exercere virtutem levi labore valeat, atque hoc pacto ex natura, ingenioque ſuo optime inſtituto, excultoque plurimum utilitatis ad ſalutem conſequendam acquirat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti delineationes, & ſtructura.

I. Nihil eſt, de quo frequentius accidat ſermo in utramque partem, quam de natura, atque indole; ſed nihil eſt, cui minus induſtriæ vires impendantur, quam pravo quidem ingenio corrigendo, cum in vitia pronum eſt, felici autem, ubi in bonum tendit, excolendo. De nullo verba fieri poſſunt, quin illius indoles, atque natura vel celebretur, vel corripiatur, tamquam cauſa, & principium bonæ, pravæque vitæ rationis ejuſdem: & plerique eorum, qui de eadem verba faciunt, illam reſpiciunt vel tamquam malum, cui nulla prodeſſe pharmaca valeant, vel tamquam bonum extra Ethicæ diſciplinæ jactum, quippe quod unice Dei munus habetur. Hinc tamen laborum ſuorum initium ducere deberet morum formandorum doctrina, ut naturam, ſi in malum vergit, regat, & corrigat, ſin autem in bonum, excolat dirigatque. Quamobrem duplicem hanc propoſitionem affero, quæ Concionis argumentum erit, atque diviſio. Altera eſt, nullam adeo pravam eſſe naturam, nullum adeo ferox ingenium, adeoque virtuti oppoſitum, ex quo ad ſalutem plurimum percipi nequeat utilitatis. Altera, nullam eſſe adeo felicem, & ad virtutem pronam naturam, quæ non vitietur, & quamprimum corrumpatur, niſi ſancta educatione, bono exemplo, & ſingulari fide erga Dei gratias excolatur.

Pro parte priori. 1. Fruſtra hominum plerique conantur vitiorum ſuorum cauſam in illud ingenium, quod a natura ſortiti fuerunt, in cœli, ſub quo in lucem editi ſunt, temperiem, in aſtrorum, quæ nativitati ſuæ præfuerunt, influxus, in cibum, & in ea omnia conjicere, quæ aliquid conferre poſſunt ad prava in ipſis cienda ſtudia, ingenium moroſum, atque difficile, ac temperamentum, quo tanta vi ad voluptates trahuntur. Quæcumque ſit cauſa, earum prima ac princeps originali peccato accepta referenda eſt: quemadmodum Deus, qui tales nos ſe-